N. 1061. Mat. med. gesl.

Med.

~~Med~~

Mat. med. gen.

Schulzii

~~98~~

IOANNIS HENRICI SCHVLZII
MED. DOCTORIS ET IN REGIA FRIDERICIANA PROFESSORIS

PRÆLECTIONES
DE
VIRIBVS ET VSV MEDICAMENTORVM QVÆ IN OFFICINIS PHARMACOPOLARVM PARATA PROSTANT
AD
DISPENSATORIVM REGIVM
ET
ELECTORALE PORVSSO-BRANDENBVRGICVM
VSIBVS ILLORVM QVI SE ARTIS OPERIBVS EXERCENDIS PRÆPARANT DESTINATÆ.

NORIMBERGÆ,
APVD WOLFFG. MAVR. ENDTERI FILIAM
MAYRIAM EIVSQVE FILIVM. 1736.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

CVM PRIVILEGIO REG. MAJ.
POL. ELECT. SAXON.

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQVE
DOMINO
D O M I N O
SAMVELI
S. R. I. LIBERO BARONI
DE COCCEII
DYNASTÆ IN WVSECKEN
KLEIST REPKAV
CETERA
POTENTISSIMO PORVS-
SIÆ REGI ET ELECTORI
BRANDENBVRGICO
AB INTIMIS STATVS MINISTERIIS
NEC NON
A SANCTIORIBVS IVSTITIÆ ET
SVPREMI PROVOCATIONVM
TRIBVNALIS CONSILIIS
COLLEGII AVLICI ET CAMERALIS
ATQVE CONSISTORII ELECTORA-
LIS MARCHICI ET GAL-
LICI
VT ET
REFORMATI SVPREMI SENATVS EC-
CLESIASTICI PRÆSIDI
GRAVISSIMO

N. 1061. Mat. med. gsc.

Med.

Mat. med.

Schulzii

G 8

IOANNIS HENRICI SCHVLZII
MED. DOCTORIS ET IN REGIA FRIDERICIANA PROFESSORIS
PRÆLECTIONES
DE
VIRIBVS ET VSV MEDICAMENTORVM QVÆ IN OFFICINIS PHARMACOPOLARVM PARATA PROSTANT
AD
DISPENSATORIVM REGIVM
ET
ELECTORALE
PORVSSO-BRANDENBVRGICVM
VSIBVS ILLORVM
QVI SE ARTIS OPERIBVS
EXERCENDIS PRÆPARANT
DESTINATÆ.

NORIMBERGÆ,
APVD WOLFFG. MAVR. ENDTERI FILIAM
MAYRIAM EIVSQVE FILIVM. 1736.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

CVM PRIVILEGIO REG. MAJ.
POL. ELECT. SAXON.

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQVE
DOMINO
D O M I N O
SAMVELI
S. R. I. LIBERO BARONI
DE COCCEII
DYNASTÆ IN WVSECKEN
KLEIST REPKAV
CETERA
POTENTISSIMO PORVS-
SIÆ REGI ET ELECTORI
BRANDENBVRGICO
AB INTIMIS STATVS MINISTERIIS
NEC NON
A SANCTIORIBVS IVSTITIÆ ET
SVPREMI PROVOCATIONVM
TRIBVNALIS CONSILIIS
COLLEGII AVLICI ET CAMERALIS
ATQVE CONSISTORII ELECTORA-
LIS MARCHICI ET GAL-
LICI
VT ET
REFORMATI SVPREMI SENATVS EC-
CLESIASTICI PRÆSIDI
GRAVISSIMO

REGIMINIS HALBERSTADIENSIS ET
RERVM ECCLESIASTICARVM
DIRECTORI
SVPREMO OMNIVM REGIARVM
ACADEMIARVM CVRATORI
ET QVÆ RELIQVA
DOMINO AC PATRONO
SVO INDVLGENTISSIMO
TENVE OPVSCVLVM
STVDIOSÆ IVVENTVTIS VSIBVS LV-
CVBRATVM DEVOTISSIMA
PIETATE CONSECRAT
AVCTOR
IO. HENRICVS SCHVLZE.

Quartus iam decurrit annus, ILLVSTRISSIME DOMINE, ex quo in fidem clientelamque TVAM me fortunasque meas omnes contuli. Effeciſti, quod numquam ſine gratiſſimo animi ſenſu recordor, vt, quem pene naufragum plures exiſtimabant, non ſolum iacturam non facerem, ſed omnino felix, et bonorum acceſſione conſpicua beatus, portum inueherer. Fieri non poterat, quin alacris et maxime hilaris adirem officium a CLEMENTISSIMI REGIS MAIE-

STATE demandatum, idque vnice optarem, vt DEVS mihi largiatur vires, quibus efficiam, ne vel optimi REGIS exſpectationem omnino deſtituiſſe, vel TVAE in me commendando ac tuendo fiduciæ fraudem feciſſe, vmquam deprehendar. Equidem quam bene initia conatuum ceſſerint, arbitrandum aliis permitto, meque ſuſtento conſcientia perpetuæ conſtantisque voluntatis efficiendi, quantum licuit, vt REGIAE FRIDERICIANAE ciuibus inſeruirem. Dum his totus vaco, vix ſentienti effluxerunt integri tres anni, iamque omnino pudore ſuffundor, qui tanto tempore nondum effeci, vt publice conſtet, quantum TIBI IS me obſtrictum beneficiis teneas. Auden-

dendum itaque tandem existima-
ui, vt TE, *ILLVSTRISSI-*
ME DOMINE et MAECE-
NAS, adorirer, meamque erga
TE pietatem declararem. Noli,
obsecro, aspernari tenue opuscu-
lum, quod ab illustrissimo nomine
TVO gratiam commendationem-
que sibi pollicetur, omninoque pla-
citurum se omnibus sperat, si aucto-
ri suo liceat profiteri, quod illius
beneficio et gratia herois ornatus
fuerit, cuius iudicio et arbitratui
REGVM optimus academia-
rum florem tuendum, totiusque rei
litterariæ incrementa promouenda,
demandauit. Sentio sane, quam
parum me exsoluerim maximo de-
bito, qui nouum contraxi. Quid
vero gleba, benefico solis calore fo-

ta, ſoli rependat, niſi vt eiuſdem radiis, ſi cogitationem haberet, porro foueri et ad gramina, flores fructusque producendos aptior reddi ſibi exoptet. Seruet TE, ILLVSTRISSIME HEROS, *diuini numinis fauor incolumem, cum illuſtriſſima* GENTE COCCEIĀNĀ, *omnibusque decoribus florentiſſimum ad Neſtoream ætatem perducat. Scripſi in Regia* FRIDERICIANA *a. d. xx. Septembris cIↃ IↃcc xxxv.*

Præfatio ad Lectorem.

uam necessarium sit medico, ad artis exercitium progressuro, pharmacopolia bene pernouisse, et quid in illa potissimum vrbe, cui operam suam consecrauit, medicamentorum prostet, et quomodo singula parata sint, vt suos digitos, in numerato habere; illi facile cognoscent, qui cogitabunt medicamenta esse illa, quibus medicus ad sanitatem ægrotantium reparandam, morbosque hominum profligandos, vti debet, arma et instrumenta. Esse autem ita cum his

comparatum, vt recto vſu præclare iuuent, male autem adhibita inſigne damnum inferant, nemini obſcurum eſſe poteſt. Atque ignorari nequit, idem nomen gerentia complura medicamenta, non eodem tamen modo parata, paſſim in officinis pharmacopolarum eſſe obuia: quorum et vires diſcrepant, et adhibendi offerendique iuſtus modus ſæpe magnopere inter ſe diſtant: prorſus vt vel danti vel accipienti ſummum famæ, vitæ et valetudinis periculum enaſci ab errore hic commiſſo facillime poſſit.

Apparet iam vera neceſſitas haud perfunctorii ſtudii noſcendis et intime pernoſcendis pharmacopoliis impendendi. Sed non hæc ſola eſt ratio, cur medicus diu multumque deſudare in hac palæſtra de-

debeat: verum etiam, quiſquis re-
ctè vult intelligere et diiudicare
curationum a doctis medicis con-
ſignatarum hiſtorias et ſucceſſus,
non poteſt operæ iuſtum pretium
facere et idoneum fructum colli-
gere, niſi perſpectum habeat, qua-
lia illa fuerint medicamenta, quo-
rum nomina in præſcriptis formu-
lis fuit intuitus. Ex quo facile in-
telligas medico, qui artem ſuam
perficere et emolumentum ex ſcri-
ptis doctorum virorum capere de-
ſiderat, non ſufficere ſuæ vrbis aut
regionis pharmacopolia accurate
cognouiſſe: verum etiam quæ per
omnem orbem, et omnibus retro
ſæculis, ſit fueritque medicamen-
torum parandorum ratio, anquire-
re et inueſtigare, non curioſi et
otio abutentis laborem eſſe, ſed
cuiuſcunque honeſti viri, qui ſe
hu-

humano generi a morbis vindicando consecrauit.

Hæc ego sæpe apud animum meum perpendens, saxum hoc voluere cœpi cum ipso consilio medicinæ addiscendæ capto: neque desii per omne id tempus, quo docendæ illi admotus sum, omnem, vt aiunt, lapidem mouere, vt eruerem certum, quod auditoribus meis traderem, de viribus et recto vsu illarum medicinarum, quas ad ægrotantium vsus debent præscribere. Accidit autem ante hos duodecim annos, quum in alma vniuersitate Altorfina medicinam docerem, vt duo iuuenes egregii, ambo ex terris Porusso-Brandenburgicis orti, meæ institutioni sese traderent, quibus idem studium commendabam, vtque felicius in eo progrederentur, medi-

medicamentorum parandorum normam, diſpenſatorium vocant, his terris publica auctoritate tradi-
tam, ipſis priuatiſſimo ſtudio explicabam. Rogabant me, vt memoriæ ſuæ conſulerem, et calamo excipienda dictarem ea, quæ maxime eſſent neceſſaria. Ab eo tempore ita ſtatui, vt inter partes medicinæ tradendas, poſt doctrinam de medicamentis ſimplicibus, iuſtum tempus tribuerem explicando eidem diſpenſatorio, ita tamen, vt in gratiam illorum, qui per omnes Germaniæ tractus artem olim facturi eſſent, ex aliis libris medicamentariis ſubinde multa inſererem. Atque ſic enatus eſt præſens, quem nunc emitto, libellus, non famæ amplificandæ a me conge-
ſtus, ſed vſui tironum medicinæ ſimplici et ſtilo et animo conſcri-
ptus

ptus et confecratus. Sicubi ſtellulam titulo præfixam intueberis, illa admonet medicamenti huius mentionem in diſpenſatorio quidem nullam eſſe factam, viſum tamen vtile fuiſſe illorum heic meminiſſe. Non abſolutum opus me exiſtimare, ſed multa addi, et forte multo præſtantiora noſtris, poſſe, id vel ex eo cognoſci poterit, quod multa libri huius exempla amplo margine inſtructa volui, vt eſſet, vbi adiici poſſit, ſi quid vel mihi in poſterum, ſi vitam DEVS conceſſurus eſt, idem argumentum in prælectionibus tractaturo, adiiciendum aut corrigendum viſum fuerit, vel ipſemet lector viſa, audita, lectaue adnotare cupiat.

Non defuturos exiſtimo, qui operam noſtram exigui pretii, vel omnino ſuperuacuam declarabunt.

Incu-

Incusabunt aliqui pharmacopolia et veterum compositionum vitia, ipsi forte vitio creati censores iactabunt, optandumque dicent, vt omnis illa farrago deleatur, nouæque officinæ fundentur. Illis autem, qui in nobis industriam desiderant, suadeo vt propediem diligentius hæc elaborent et publico sistant: alteris pro me respondeant bonæ leges, quas reges, principes ac ciuitates tulerunt et identidem renouarunt, quibus iubent pharmacopolia, et talia, esse ac conseruari, medicos autem abstinere se a medicinarum dispensatione. Quamdiu hæc erit rei publicæ facies, non superuacuus erit labor impensus rei, quam leges requirunt et tuentur.

Quod superest, cordatos medicos et artis vsu perfectos, si forte

hunc

hunc librum peruoluere dignabuntur, etiam atque etiam rogo, velint me beneuole monere, ſicubi vel errauero, vel non ſatis digna de viribus ſingulorum retulero: referam, quantum valebo, bonam gratiam daboque operam, vt ad communis boni emolumentum redundet, quicquid mecum communicauerint. Vale. Scribebam in Regia Fridericiana a. d. xx. Septembr. cIↃ IↃcc xxxv.

ACE-

*ACETVM ANTILYSSICVM HANNEMANNI.

In JVNGKENII *corp. pharmac. pag.* 21. ſic deſcribitur. Rec. fol. abrotani, betonicæ, ſaluiæ, ſingulorum manipulum vnum. Inciſis affunde aceti vini optimi libram vnam. Digerantur per aliquot horas, expreſſo adde theriacæ Andr. drachmas duas. Addi poteſt herbæ cardui fullonum manipulus vnus, vel ſeminis eiusdem cardui contuſi vncia vna. Valde laudat Auctor hoc remedium, ad vnciam vnam aliquoties iterato ſumendum, ante quam aquæ metus ſeſe exſerat.

ACETVM BEZOARDICVM.

Acetum interne ad præclaros vſus iam adhibuerunt maiores noſtri: de quo adeundum DIOSCORIDEM *Lib. V. cap.* 17. ſuadeo. Ex recentioribus aceti laudes grauiter canit HERM. BOERHAAVE *element. chem. tom. II. proceſs.* 50. *pag.* 207. qui locus conſideratione digniſſimus eſt. Externus etiam aceti vſus ad odorandum, aeremque contagioſis temporibus emendandum, ſatis antiquus eſt; de quo conſulatur ISBRANDVS de DIEMER-

BROECK *de peste pag.* 130. 133. 170. Hæc intuiti recentiores sperabant maiora se in morbis contagiosis ab aceto reportaturos esse, si viribus vegetabilium alexipharmacorum illud imbuerent, hominibusque tam præseruandi quam curandi scopo, ad vnum vel duo cochlearia, seu ab vncia dimidia ad integram, remixtum & temperatum aqua aliqua diapnoica, vt cardui benedicti, scordii, fl. sambuci, offerrent, aut odorandum præberent. Experientiæ merito permittitur decidendum, an reuera multam præ bono & simplici aceto compositis istis prærogatiuam tribuere liceat: et annon certis subiectis et temporibus præstet simplici, vtpote minus calefacturo, faciliusque exspirabili, quam vegetabilium resinolorum et calidorum particulis saturato, confidere.

ACETVM CALENDVLAE FLORVM.

Magni et præclari medici calendulæ floribus in febribus malignis et pestilentialibus multum tribuunt: vide ZORNIVM *in botanolog. medica.* Aceto huic calendulato in iisdem morbis RAYMVNDVS MINDERERVS seorsim multum tribuit, vt et alii auctores. Certe hi flosculi si vires non multum intendunt, neque tamen etiam destruent, aut damnum inferent.

ACETVM DESTILLATVM.

Potissimum inseruit præparationibus chemico-pharmaceuticis. JOANNES ZWELFERVS in *pharmacop. Aug. ref.* suadet aceta officinalia potius cum destillato quam simplici parare; ratus sic et efficaciora et durabiliora illa fore: at vero Illustris STAHLIVS

LIVS destillatum simplici, ob vires nimium penetrantes, et neruosas partes stringentes, ratione interni vsus, minime præfert, et de se ipso testatur, quod paucæ destillati guttulæ, quoties eas deguſtauerit, raucedinem sibi induxerint.

ACETVM PROPHYLACTICVM.

Inferius laudatur aqua prophylactica Syluii, ibique ad hoc acetum remittitur. Haud scio, annon melius futurum sit, si loco destillati simplex bonum acetum assumeretur, et simpliciter, absque destillatione, digereretur. FRANCISCVS de le BOE SYLVIVS non solum in malignis, sed etiam in ipsa peste, ante quam ægrotantes inuiseret, sumsit frustulum panis albi aceto vini vulgari, vel calendulato imbutum, quo alexipharmaco se tam bene conseruauit, vt nunquam veneno pestilentiali infectus fuerit: si vero omisisset, statim dolorem capitis sentiebat. Quo ipso simplicitatem se in suo corpore artificiosiori huic formulæ prætulisse, satis, vt existimo, testatus est. Dosis non eadem erit, si, vt hic præscriptum est, destillatum acetum accesserit, et si simplex infusum tantum fuerit. Prius si factum fuerit drachma vna, aquis tamen destillatis diluenda, dosis magna fuerit: posteriori modo paratum ad vnciam dimidiam, et vltra, dari poterit.

ACETVM ROSARVM.

Coloris gratia hoc, vt et ex floribus tunicæ, fructibus rubi idæi, nec non ex floribus papaueris erratici, aut ex menthæ vel rutæ summitatibus, parata, oculis blandiuntur. Habent virtutes simplicis

aceti, et aliquantulum ab illis vegetabilibus, quibus infusa fuerunt: atque ab illorum viribus æstimari debent. Epithematibus adhibentur; odoratui etiam præbentur: aliquando laminis candentibus ferri adsperguntur, et vapor ad nares soporosorum admittitur. Mensis quoque, embammatum loco, adponuntur.

ACETVM RVTAE COMPOSITVM.

Feminis suffocatione hysterica laborantibus destinatum, ad odorandum.

ACETVM SAMBVCI FLORVM.

Plurimum adhibetur a plebeiis, pro vehiculo theriacæ in acutis et contagiosis morbis.

ACETVM SATVRNINVM SEV LITHARGYRII.

Externe ad inflammationes et vlcera maligna, pro affluxu cohibendo, vt et cosmetico scopo, laudatur. Veruntamen hunc quoque cosmeticum crebriorem vsum improbat BOERHAAVE *Chym. P. II. pag.* 309. quippe sensim morbos pulmonis et ipsam tabem inducit. *Sex*, inquit, *vel septem nobiles puellas, huius fuci vsu, mortuas noui.* Eoque magis caute cum eo mercandum puto in vlceribus faciei serpiginosis, varis, pustulis: quum plus simplici vice obseruatum sit, quam promte talia, ex vultu propulsata, pectoris morbos induxerint: vtique in senibus vel senio propinquis. Vide infra *lac virginis*: de quo idem sentiendum puto.

ACE-

ACETVM SQVILLI-TICVM.

Melius ſcribitur nomen *ſcilliticum*, aut, ſecundum PLINIVM, *ſcillinum*. Eſt autem ſcilla, vnde hoc acetum denominatur, ex antiquiſſimis remediis, et præcipue in Pythagoræorum ſcholis frequentata fuit. De viribus et vſu aceti huius multa prædicantur ab auctore incerto, qui GALENVS eſſe perhibetur, *de euporiſtis libr. III. cap.* 205. quo teſtimonio medicina quaſi vniuerſalis et longæuitatis optimum maximum præſidium cenſeri debet. Non vanum eſſe, quod PLINIVS *XXIII.* 2. ſcribit: *tarditatem auriũ gargarizatione purgat, & tranſitum auditus aperit*, experiendo cognoui. Hodie præcipue adhibetur in pectoris ſuffarctu expediendo, tuſſi difficili, aſthmate humido: videturque non parum conuenire cum ſyrupo et extracto nicotianæ. Datur a drachma vna ad vnciam: ſed maiori doſi vomitum excitat. Non male in dictis pectoralibus vitiis adhibemus hoc acetum reſoluendo gummi ammoniaco, quam deinde ſolutionem aquis commodis diluimus. Quoniam amaritiem cum aciditate coniunctam habet, commode adhibemus oxymel ſcillinum, de quo ſuo loco.

ZWELFERVS aſſatas ſcillas adhiberi improbat, et mauult crudas: quem ſi quis imitari velit, doſin parciorem præbeat neceſſe erit. Eſt etiam vetus cautela, ne quis hoc aceto vtatur, qui gingiuas, aut internarum partium aliquam, exulceratas habet.

*ACETVM VIOLARVM CAERVLEVM.

Passim matronæ illud ad mensæ vsus præparant, violas cum aceto in vase stanneo digerentes. Vereor autem, vt multum debeat particulis saturninis resolutis, adeoque insalubribus accensèri debeat. Longe consultius est adhibere minus eleganter cæruleum istud, sed magis purpureum, quod in vasis vitreis paratum et asseruatum fuit.

AERIS FLORES.

Sunt medicamentum cupro extractum, eiusque naturæ particeps : adeoque nauseosum et non sine circumspectione adhibendum. De vsu certo mihi nihil constat. Robertus BOYLE olim celebravit suum *ens veneris* ex vitriolo ad rubedinem calcinato per sublimationem parandum : de cuius vsu differit *de vtilit. philos. experim. P. II. sect. V. cap.* 6. Hunc adire suadeo et considerare, quantum de illo dicta nostris floribus conueniant, et quantum experientiæ respondeant. Ceterum plura veteribus nota erant ex ære pharmaca. Videatur DIOSCORIDES *Libr. V. cap.* 47. 48. 49. 50.

AES VSTVM.

Est ex antiquissimis medicamentis. Veteres non solum interne dabant, ad vomitum conciliandum: sed præcipue & frequentissime externe adhibebant ad adstringendum, reprimendum, exsiccandum, ad vlcera purganda, cicatricem inducendam, oculorum vitia emendanda, excrescentias in carne cohibendas. Vide DIOSCORIDEM *Libr. V. cap.* 47.

AETHIOPS MINERALIS.

Circa præparationem moneo, hic præſcribi methodum GVALTERI HARRIS: ſed in ea nimis multum ſulphuris adſumi. Sufficit ſi ad mercurii partes duas vnam ſulphuris ſumamus. Mercurius optimus ille eſt, qui in deſtillatione butyri antimonii prodit: aut, ſi ille non ſit ad manus, qui ex cinnabari reſuſcitatus eſt. Quod ad vſum eius pertinet, multorum annorum experientia edoctus ſum, nobile eſſe medicamentum et non minus efficax quam ſecurum. Poteſt tenero infanti, vbi ſuſpicio eſt vermium, aut glandularum meſenterii induratarum, ad grana quinque cum lacte infundi, paulo adultiori puero grana decem, ad ſcrupulum integrum, penitus adulto drachma dimidia et amplius dantur, et per complures dies, absque ſaliuationis metu continuari poſſunt: adiuncto, melioris penetrationis cauſa, infuſo pugillari ad ſcopum idoneo. Hac ratione glandularum colli tumores cum auribus manantibus, exulcerationibusque fiſtuloſis, amauroſin, ſcabiem ſiccam moleſtiſſimam, menſium varia vitia, atrophiam infantum, mali venerei initia, febrem quartanam, curata memini. Plura de hoc medicamento cupiens, legat, ſi placet, diſſertationem inauguralem Dom. Lic. SCHROMMII 1725. Altdorfii habitam et *de Aethiope minerali* inſcriptam. Jucundiſſime, etiam a faſtidioſis et puerulis, ſumitur cum pauxillo ſacchari et cinnamomi. Si pilularis forma arrideat, pro exemplo eſſe poſſunt *pilulæ Aethiopicæ* in *pharmacopœa Bateana* præſcriptæ. Externum etiam vſum in ſcabie laudari video: hunc tamen experiri adhuc nolui,

lui, certius et iucundius esse ratus, si ab internis partibus foras impuritates omnes propellerentur.

*AETHIOPS ANTIMONIALIS.

Apud Belgas frequens hodie medicamentum et Berolini etiam ab Exc. D.D. ELLERO introductum, fit duas partes antimonii crudi tenuissime triti, cum mercurii crudi parte vna diu multumque terendo. Sed in patienti tritura omnino multum situm est. Dari potest ℈j. ad ʒß; satisque diu, sine saliuationis euentu continuari. Vires exacuit iunctum diagrydium sulphuratum ea dosi, quæ ad laxandum non sufficit: quod initio curationis vtiliter sic fit. Mentio remedii fit in dissertatione *de metastasi*, quam sub præsidio Exc. D.D. FR. HOFFMANNI habuit D. D. SONNTAGIVS.

ALCES CORNV PHILOSOPHICE PRAEPARATVM.

Destinatur epilepsiæ percurandæ. An vero hæc præparatio melius hoc cornu, quam crudum erat, reddere possit, an vires natiuas potius destruat, nihil hic attinet dicere. Eodem loco haberi debet, quo cornu cerui, vngula alces, lumbrici terrestres. Dari per se vix solet, sed aliis antispasmodicis, diapnoicis et absorbentibus mixtum.

*ALKERMES MINERALE.

Vide *Dispensatorium Argentoratense pag.* 136. et conf. *Commercium litter. physico-medic. A.* 1732. *Hebd.* 40. *pag.* 314. & *A.* 1735. *Hebd. XXIII. p.* 179.

ALOE DEPVRATA.

Si forte contingat aloen alienis admixtis impuram nanciſci, præſcripta methodus ſordibus auferendis ſatisfaciet. Si vires infringere & vaporoſum ſulphur, caput valde feriens, diſſipare animus eſt, longior & intenſior decoctio id faciet. Si vero gummoſam aloes partem, in qua vis purgandi maxima reſidet, a reſinoſa ſeparatam cupis, opus eſt aloen frigida aqua, ſucco citri, vel alio quocunque modo, acidulata ſoluere, & deinceps blando calore inſpiſſare. Atque talem gummoſam aloen maxime expeti et laudari videmus ab Illuſtri STAHLIO & viris ab eo deductis.

ALOE INSVCCATA.

Nititur hæc præparatio priſca quadam perſuaſione, tamquam aloe hepar lædat. Quare factum eſt, vt quatuor ſucci hepati cordique dicati adiicerentur. Neque tamen omnino eſt contemnenda : quia reſinoſæ aloes particulæ gummoſis his interpoſitis magis disiunguntur, vt blandius per inteſtina digerantur, minusque confertim adhæreſcant. Si tali deſtituamur, aſſumenda eſt illa aloe, quæ in officinis hodie hepatica dicitur, et ex China ad nos defertur: quam HERMANNVS in *Cynoſura mat. med.* non iniuſte optimam declarat; quoniam partem gummoſam longe copioſiorem, quam ſocotrina, habet.

ALOE INSVCCATA TARTARISATA.

Blandius etiam, quam prægreſſa, laxat, minusque periculum inſecuturæ alui ſiccitatis adfert; ob

ſtimulum ſalinum adiectum. Quod ad doſin huius atque præcedentium attinet; plerique noſtri ſæculi medicorum vno ore inculcant aloen minima doſi, ad pauciſſima grana, æque efficacem, de reliquo autem ſalubriorem eſſe, quam ſi, veterum exemplo, integras drachmas deuorandas præbeamus. Mere eccoprotico ſcopo grana duo vel tria, in cœna deglutita, abunde ſufficiunt: quin aliquibus vnum ſatis facit. Noui practicum, qui apud nobilem podagricum, paroxyſmo morbi detentum, magnam gratiam iniit aloes gummoſæ vnico grano veſperi quotidie dato: quod aluum per totum morbi decurſum apertam ſeruando, dolores longe, quam antea, magis tolerabiles reddidit.

ALVMEN TINCTVM MYNSICHTI.

Vſum adiecta nota docet et prædicat: pharmacopœa etiam Bateana confirmat. Doſin ipſe MYNSICHTVS auctor præſcribit ſcrupulum dimidium vel integrum; et horis aliquot ante paroxyſmum cum aqua nicotianæ ſumere iubet ac ſudorem exſpectare. Eſt medicamentum adſtringens et ſatis ingratum. Qua cautione dandum ſit, ex febrium doctrina peti debet.

AMVLETVM IN PESTE HELMONTII.

Ipſe HELMONTIVS in *tract. de peſte cap. XVIII. pag.* 648. 649. *edit Germ.* auctorem amuleti huius facit nobilem Hibernum BVTLERVM. Ceterum

rum teſtimonio, quod heic legitur, addi poteſt haud minus memorabile et luculentum, medici cuiusdam Morauienſis apud ZWELFERVM *in pharmacop. Reg. p. m.* 614.

ANODINVM MINERALE.

Idem eſt quod vocamus notiori nomine nitrum antimoniatum: et vſum habet eundem, quem nitrum cum ſale quodam medio iunctum, id eſt antiſpaſmodicum et incidentem. Doſis eſt ſcrupulus et vltra; pro ſcopo & intentione præſcribentis plerumque abſorbentibus & diapnoicis iungitur.

*ANTIDOTVS SAXONICA.

Magnam olim famam conſequuta eſt. Si quis deſcriptionem requirat, adeat HENRIC. RANTZOVIVM *de conſeruanda valetudine cap.* 51. ex quo eandem repetit HELMONTIVS, et electuario Oruietano præfert, loco antea citato, *pag.* 658. 659. *edit. German.* Conf. MATTHIOLVS in *Dioſcorid. Lib. IIII. cap.* 74. *pag.* 768. *et lib. VI. pag.* 981. vbi, diſſimulato licet nomine, de eadem agitur.

ANTIDOTUS MATTHIOLI.

Si longa diffuſaque formula de medicamenti bonitate certum teſtimonium præberet, nulli comparanda facile hæc eſſet medici quondam clariſſimi, PETRI ANDREÆ MATTHIOLI antidotus, quam ipſemet deſcribit *Libr. VI. pag.* 979. 980. et de vſu hæc tradit: *Sumendi quantitas eſt a drachma*

vna

vna vsque ad tres, pro ætate et constitutione pa-tientis. Antidotum hoc non solum præstantissimum est contra omnia venena, quæ per os sumuntur, itemque aduersus ea, quæ morsu vel ictu relinquuntur: verum etiam in pestilentia, cui mirifice opitulatur.

ANTIHECTICVM POTERII.

Nihil aliud est quam antimonium diaphoreticum calce stanni adiuncta. Cur splendidum nomen antihectici acceperit, equidem non video aliam rationem, quam quod fortasse alicui hectico olim datum sudores colliquatiuos minuerit. Enimuero hoc nondum est hecticos percurare. Exstat in hanc rem pulcerrimus discursus Excell. D. D. STAHLII, a D. D. JO. CHRISTOPH. GOETZIO *obseruationum medico-practicarum Stahlianarum Classe I. pag.* 162. editus, ex quo sequentia adducere liceat: *profecto impotens est assignatio huius nominis, quod frinolum hoc præparatum hectica medeatur. Non viuit homo, nec viuet, qui expertus sit, quod hoc remedium vlli hectico saltem visum sit aliquod leuamen attulisse aut adferre: nedum quod antihecticum fuerit et vllum ab hectica liberauerit. Coniicere potius in hecticam potest leuis abusus, grauando omnino ventriculum et primas vias, et subaustera sua, seu salina etiam, ex digestione saltem eueniente, efficacia stringere potius viscera, quam vllo modo aperire. Pertinet reuera ad superstitiosas illas credulitates medicas huius præparati propagatio & per manus traditio.* Et certe adstrictoria huius medicinæ efficacia vel ex eo elucet, quod, teste NICOL. LEMERY *in cursu chy-*

chymico, ad feminis, ventris atque sanguinis fluxus cohibendos inseruit: qui idem dosin præscribit a decem granis ad binos scrupulos.

ANTIMONII BUTYRUM et CINNABARIS.

Quod ad præparandi præscriptum modum pertinet, dissimulari non potest, quod proportio ingredientium sit incommoda. Sufficit ad sublimati quatuor partes vna pars antimonii: quam encheiresin olim iam docuit Excellent. STAHLIVS *fundam. pharm. chym. p.* 214. §. *XLIV.*

Butyrum est concentratissimus salis spiritus, regulina antimonii parte saturatus, admodum corrosiuus: vnde chirurgis prodest ad exedendum. Id qua cautione fieri debeat, alibi docetur. Inseruit porro chymiæ et pharmaciæ ad varios vsus: de quibus hic non est dicendi locus.

Cinnabaris nihil aliud est, quam mercurius sulphure communi, quod fuit in antimonio, fixatus, aut potius combinatus. Multi peculiares ipsi virtutes tribuunt: sed, si verum fateri volumus, nulla re differt a vulgari rite elaborata, nisi pretii magnitudine. Potest dari scrupulus dimidius, vel integer, vbi lympham depurare et obstructas eius vias recludere cupimus: sed hoc fit rarius, et tali casu æthiops mineralis eundem fructum affert. Ingreditur multos pulueres, de quibus infra dicendi locum inueniemus.

ANTIMONIVM DIAPHORETICVM.

Est pars antimonii regulina per nitrum calcinata. Sub tali tamen calciformi substantia omnino aliquid nobilius est simplici quouis alio absorbente: nempe diapnoicum seu diaphoreticum, scilicet quod insensibilem transpirationem excitat, conseruat, auget. Optime hoc cognoscitur in infantibus et ægrotis febre maligna decumbentibus, adeoque sensibilioribus. Maxime confert in angustia respirandi a defluxione ad organa spiritalia, in lymphaticis morbis, vt et iecinoris obstructione. Aliqui non perfecte edulcoratum seorsim commendant ad ventriculi detersionem: videndum autem fuerit, annon idem impetremus, si in præscriptione antimonio huic nitrum antimoniatum addamus. Illud certum est, si perfecte edulcoratum tartaro emetico iungamus, pauca tartari grana plus operari, quam potuissent sola per se data: si vero eandem quantitatem non omnino edulcorato addas, per ventrem inferiorem potissimam operationem absoluet. Quod ad dosin attinet, BASILIVS quidem VALENTINVS ad grana XV. vno die quinquies dedit: et potest scrupulus vel drachma dimidia, modo legitime paratum sit, absque formidine offerri. Sed in teneris atque debilibus facile ventriculus obruitur tanta terrearum mole: quare præstat grana quinque vel sex, (vbi illud locum habet) nitro, et sale quodam medio adiuncto, sæpius per diem offerre, quam magnis et simultaneis dosibus vires ventriculi opprimere. Nec sine ratione monetur, attendendum es-

se

se, vt sit legitime paratum: nam exempla non pauca prostant vehementissimorum vomituum ab antimonio diaphoretico excitatorum: quod mihi ipsi contigit, quum nitrum in præparatione adhibuissem minus probum, sed, quod postea deprehendi, sale communi multo adulteratum: vnde sufficiens detonatio non facta erat.

ANTIMONIVM DIAPHORETICVM MARTIATVM.

Parum de marte participat, eiusdemque intuitu potissimum commendatur ad roborandum, præcipue in affectibus ab imbecillitate ventriculi et intestinorum dependentibus. Ceterum dosis et vsus conuenit cum præcedenti.

ANTIMONII FLORES.

Nullius hodie vsus sunt, mihi quidem cogniti. Saltem in substantia non debent intro dari: pro robustioribus pauca grana vino infundantur, colatumque vinum potui detur, scopo emetico. D. D. BOERHAAVE *elem. chym. part. III. pag.* 525. ex mente Helmontii parandos docet: qui deinde porro adhibentur parando antimonio diaphoretico Helmontii: quod vlterius inseruit eiusdem pulueri *diaceltatesson* componendo, quem vide *ibid. pag.* 527.

ANTIMONII MERCVRIVS.

Vix aliquid antimoniale in eo ostendere licebit. Optime adhibetur, vt supra iam monui, parando æthiopi minerali, quia de puritate certi esse possumus.

ANTI-

ANTIMONII REGVLVS MARTIALIS et SIMPLEX.

Vsibus potius vlterioribus chymicis et mechanicis, quam medicis adhibentur. Ex vtroque parari solent scyphi vomitorii, quando reguli quinque vnciæ cum vna stanni libra colliquantur: quibus vinum infunditur et post aliquot horas bibendum propinatur. Solent etiam aliqui globulos, seu pilulas maiores, ex illis fundere, easque torno læuigatas hominibus deglutiendas dare, vnde purgatio fortis euenire solet. Seorsim hos globulos aliqui commendant in passione iliaca.

ANTIMONII REGVLVS MEDICINALIS.

Vide infrà: *Febrifugum Craanii.*

ANTIMONII VITRVM.

Interno vsui, nisi forte in casibus admodum singularibus, vt maniacis nullo alio vomitorio mobilibus, vitrum hoc adhibere nemini suaserim, etsi sunt quidam, qui id facere præscribunt. Longe consultius est integra vitri huius frusta vini vel cereuisiæ vnciæ, aut ad summum duabus cum dimidia vnciis per noctem imponere, idque vinum colatum propinare, vnde vomitus satis vegetus consequetur. De reliquo adhibetur etiam præparando tartaro emetico, de quo suo loco dicemus. De omnibus vero his præparatis antimonialibus conferantur D. D. NEVMANNI *prælectiones nouissimæ*, ordine *tertiæ*.

APRI

APRI DENTES PHILOSOPHICE CALCINATI.

Vix differunt a cornu cerui et pluribus osseis simili modo paratis. Frequentissime præscribuntur inter pulueres pleuriticos.

AQVÆ DESTILLATÆ SIMPLICES.

Aestimantur ex viribus suorum simplicium. Id quod primum prodit est optimum; quod insequitur plerumque fatuum. Cauendum, ne sint venereis particulis a vesica, alembico vel canalibus refrigeratoriis cupreis affectæ et imbutæ: a quo sensibilioribus et infantibus noxæ pluræ et grauissimæ oriri possunt. Raro per se solæ præscribuntur; plerumque potionibus et mixturis ex intentione medici conficiendis, aut pro vehiculo medicinis adsumendis destinatæ sunt. Quænam in officinis prostent, ex taxa, seu indice pretii, cognoscere licet.

AQVÆ SIMPLICES SPIRITVOSÆ.

Differunt hæ aquæ a spiritibus, hoc est illis, qui per fermentationem parantur: magisque ab istis, vbi spiritus abstrahitur. Sunt enim debiliores hæ aquæ minusque spirituosæ. Non exigui autem sunt vsus, optandumque videtur, vt loco tot inutilium prorsusque fatuarum, quæ in officinis exstare debent, plures spirituosæ adessent, ex recentibus herbis, v. gr. veronica, millefolio, chamæmelo,

tenuiter conciſis, et vino per X. XII. dies in cella, vaſe operto, maceratis deſtillatæ. Doſis earum eſt cochlear vnum, vncia vna Si nimis videantur ſpirituoſæ, temperantur adiecta aqua quadam deſtillata ſimplici: poſſunt etiam ſyrupo quodam aut ſaccharo ad gratiam condiri. Seorſim

AQVA CINNAMOMI SPIRITVOSA,

quæ exempli loco adducta eſt, ex optimis analepticis et tonicis eſt, et vix melior in tota ſuppellectile pharmaceutica inuenietur. Datur ab vncia dimidia ad integram.

AQVÆ COMPOSITÆ.

Generali admonitioni, pro pharmacopoeo appoſitæ, merito addimus pleraſque harum aquarum præſcriptas eſſe ante integrum ſæculum et amplius: quo tempore chemia nondum erat tantopere exculta, vt per illam res etiam pharmaceutica multum illuſtrari emendarique poſſet. Quare non acerbe nimis caſtigandum eſt, ſi videamus ſæpe deſtillationibus commiſſa eſſe, quæ abſolute nihil elargiri poſſunt, vt raſuram cornu cerui, extracta vegetabilium, brodium caponis ad mollitiem iam cocti, et id genus alia: qualia iam pridem a doctis viris ſunt notata. Mihi non conſtitutum nec demandatum eſt, normas pharmacopoeis olim præſcriptas corrigere: quare contentus leui annotatione, quæ grauiora videntur, attigiſſe, plurima diſſimulabo et tantum tradere allaborabo, quæ ad vſum pertinere videbuntur.

AQVA ALEXIPHARMACA.

Reuera parum differre potest ab *aqua*, seu *aceto prophylactico*, *Sylvii:* quod supra vidimus. Secure detur ad vnciam integram et vltra, pro vehiculo medicinarum alexipharmacarum. Minime concinnam esse, vel tironi patebit.

AQVA AD MEMBRA TABIDA.

Parum solidi fructus promittit. Experientiæ permittitur, quid vsu interno externoue effici possit.

AQVA ANHALTINA.

Vocatur etiam *spiritus Anhaltinus*, atque sub hoc nomine in *Pharmacopoea Augustana* exstat. Vsibus internis atque externis destinata est: quanquam ob saporem nimis terebinthinaceum delicatis non multum arridere potest. Neque interne conuenit nisi subiectis et morbis, vt loqui solemus, frigidis, et vbi sanguis concitatiorem in motum redigi excretionesque stimulari debent. Externe in catarrhis, paralysi, vertigine, syncope, ventris torminibus locum inuenit. Interne, pro circumstantiarum ratione, vncia dimidia admitti potest.

AQVA ANTIFEBRILIS.

Parum concinna est compositio, & vix multas febres profligabit, quomodocunque vsurpetur.

AQVA ANTIPHTHISICA.

Nulli phthiſico facile nocebit, etiam ſi doſin pro guſtu & arbitrio determinet. Haud multum diſſimilis eſt illa *Mynſichti* eodem titulo prænotata, quam æqua lance examinat ZWELFERVS in *pharmacop. reg. claſſ. XV.* p. m. 705.

AQVA ANTIPODAGRICA.

Vſum eſſe externum, pro fouendis affectibus partibus, iam eſt ab Editore monitum.

AQVA ANTISCORBVTICA DORNCREILII.

Magnæ olim famæ fuit ad ſcorbuti curationem: nec inconueniens videtur ad humores diluendos et ſecretiones aliquo modo ſtimulandas. Dari poteſt vncia.

AQVA ANTISCORBVTICA TEMPERATA.

Quoniam præcedens aqua, tamquam ſpirituoſa, non æque omni ſubiecto et tempori conuenit, hæc, plane nihil ſpirituoſa, præſcribi poteſt, vbi affectus æſtuoſi, febriles, cum diatheſi ſcorbutica complicantur. Ad plures vncias adhiberi poteſt.

AQVA APOPLECTICA LANGII.

Eſt celebris illius quinque Electorum Palatinorum Archiatri JO. LANGII inuentum, quod ipſemet deſcribit *epiſtolarum medic. lib. III. pag.* 783. cuius

ius de vſu verba apponam: *Eſt mirabilis iuuamenti in præſeruatione ab apoplexia et omnibus agritudinibus neruorum frigidis, curans paralyſin, torturam, ſpaſmum et mirabiliter reſtituens loquelam.* Quoniam non eſt ſpirituoſa, in doſi haud facile error committi poterit, etiam ſi ad plures vncias præbeatur.

AQVA APOPLECTICA cum & ſine MOSCHO.

Hæc compoſitio debetur ZWELFERO *pharmac. Regiæ p.* 666. Conſtat ſpirituoſis et oleoſis particulis: quare in apoplexia ſanguinea ad vſum internum non conuenit: externe autem ad partes debilitatas roborandas, nec non ad odorandum præcipue adhibetur. Vbi notandum eſt in præſcribendo, ne illam cum moſcho offeramus feminis ad hyſtericas paſſiones pronis, aut illis actu laborantibus. Ipſe auctor de vſu hæc habet: *Aqua hæc roborando cerebro et vniuerſo neruorum generi dicata eſt: ad roborandam memoriam, arcendam apoplexiam et paralyſin præſtantiſſima.* D. D. ARGENTORATENSES longe compendioſiorem, et vix minus efficacem, deſcribunt, cochleatim per ſe vel cum aliis dandam: quæ non adeo multum diſcrepat ab illa, quæ ſequitur,

AQVA APOPLECTICA PAVPERVM.

AQVA ARTHRITICA.

Sat bona eſt compoſitio, niſi quod lumbricorum terreſtrium adiectio ſuperflua videtur: quippe hi in deſtillatione tali nihil virium elargiuntur. Con-

uenit membris ab arthritide vexatis et debilitatis, iterum corroborandis, nec non paralyticis & paresin a colica perpessis, vt et quibusuis frigidis articulorum morbis, externe post modestam frictionem adhibita. In ipso autem arthritidis paroxysmo melius ab ea abstinebimus.

AQVA ASTHMATICA.

Compositio non quidem omnibus numeris concinna est: quippe non video quid glycyrrhiza, caricæ et iuiubæ destillanti liquori spirituoso elargiri possint: attamen non inefficax deprehenditur in senibus difficulter spirantibus ex causa frigida, id est decubitu seroso humorum ad tracheam et laryngem. Nam si asthma a polypo cordis vel hydrope fuerit, parum opis exspectandum est. Dosis est ab vncia dimidia ad integram.

AQVA ADSTRINGENS PANIS.

Ipsi Domini editores non dissimulant, quam parum formulæ huic tribuant. Roborando ventriculo aliquid conducet.

AQVA BENEDICTA RVLANDI.

Incredibilem olim famam hæc aqua sibi peperit, quo magis auctor illam inter arcana habuit. Est emetica, et quoniam ad assumendum grata est, non contemnenda, modo cautiones in omnibus emeticis necessariæ adhibeantur. Dosis in tali proportione est ad ℥j: sed solet in præscribendo dilui aquis quibus-

busdam v. g. Recipe aq. bened. Rul. ℥j aq. ceraſor. nigr. buglosſ. ana drachmas duas. Nec raro extempore præſcribitur hoc modo: Vitri antimonii, aut, qui lenior eſt, croci metallorum drachmæ, affunde vini albi duas vncias: ſtent per noctem: colatum mane bibendum porrige.

* AQVA BENEDICTA Pharmacop. Bat.

Per Britanniam et Belgium frequentiſſime adhibetur omnis generis chronicis morbis expugnandis. Hinc quoque commendatio eius ad Gallos peruenit: apud quos Regia Scientiarum Academia vſum eius examine ſuo dignum exiſtimauit, vt ex Commentariis eruditæ huius Societatis elucet. Nihil eſt aliud quam aqua calcis viuæ dilutior. Dant illam ad tres vel quatuor vncias bibendam, ter in die: vel plane ordinarii potus loco ſumere iubent, per integrum menſem: ſæpe quidem per ſe, non raro etiam lacte remixtam. Quin aliqui tincturæ metallorum ſatis notabilem quantitatem aquæ admiſcent. Aliquando glycyrrhizam, corticem ſaſſafras et vuas paſſas exacinatas addunt; quæ *AQVA BENEDICTA COMPOSITA* in eadem pharmacopœa audit.

Quibus malis expugnandis hæc aqua deſtinata ſit, apud citatos auctores relegatur. D. D. BOERHAAVE in *chymia P. II. pag.* 316. refert in Galliis hoc remedii genus infauſtos effectus edidiſſe: ſimulque indicat, quam exiſtimet cauſam eſſe, cur in borealibus regionibus lentos morbos adeo feliciter ſoluat, in calidioribus vehementer noceat: quem legiſſe et perpendiſſe non pœnitebit. Vetat hanc aquam phthiſi laborantibus offerre.

AQVA CALCIS RVLANDI.

Vſus aquæ externus eſt, et minime contemnendus ad membra ambuſta.

AQVA CAPONIS.

Deſtinata eſt viui analeptico. Sed amplector iudicium, quod ſubiuncta notula expromit. Alii quondam margaritas et aurum, inutili prorſus diſpendio, addebant.

AQVA CARBVNCVLI.

Nomen ſuum inde habet, quod in peſtilentia, vbi bubones & anthraces erumpunt, ad ſuperficiem blande pellendo, retroceſſionem ad interiora præuenit et impedit. Ceterum compoſitio ad mentem ZWELFERI emendata eſt, et ſic ſatis proba. Plebeii homines norunt aquæ huius bonitatem, quippe multis in vſu eſt, vt grauiori terrore perculſi cochlear ea repletum ſorbeant. Etiam externe ad epithemata cordis ac pulſuum expetitur; capiti ex cauſa frigida dolenti, & membris paralyticis, vt et grauidarum abdomini, ad fœtum confortandum, adhibetur.

AQVA CARMINATIVA DORNCREILII.

Eſt ſatis bona in torminibus & flatulentia aut colica a cruditatibus vel refrigeratione ortis. Alii præter flores chamæmeli Romani in altera infuſione addunt florum chamæmeli vulgaris bonam quantitatem,

tatem, vinique duplam, quam hic præſcripta eſt, portionem; vide *Diſpenſat. Norimberg. p.* 143: atque haud ſcio, an recte hoc ſit ſiue non attentum ſiue ſtudio mutatum. Si vini adhuc maior quantitas adſumeretur, proxime accederet ad AQVAM CHAMAEMELI COMPOSITAM pharmacopœæ Bateanæ. Dari poteſt vncia vna et vltra.

AQVA CEPHALICA CAROLI V. Imperatoris.

Eſt ſpiritus oleoſis particulis fragrantiſſimarum herbarum et aromatum imbutus, quaſi aliquis balſamus liquidus. Potiſſimum adhibetur externe: valde phlegmaticis etiam interne ad cochlear vnum data, præſertim admixtis aliis temperata, conueniet. In *pharmacopœa Argentoratenſi* exſtat admodum concinna AQVA CEPHALICA D. D. BOECLERI, quæ interno vſui in cephalalgia, clauo, aliiſque affectibus hyſtericis, ad vnum cochlear vel duo præbenda, commendatur.

AQVA CERASORVM LAVENDVLATA.

Eſt aqua ſpirituoſa ex ceraſorum nucleis, ſi modo contuſa fuerunt, aliquam gratiam, et ex lauendulæ floribus odoris commendationem nacta. Neſcio cui vſui ſeorſim dicata ſit.

AQVA CINNAMOMI CORDIALIS.

Borraginata etiam vocatur. Cordialis dicitur, quia cum aquis quatuor florum cordialium deſtillatur.

Alii cum aqua bugloſſi ſola parant, ideoque bugloſſatam vocant. Præcipua virtus eſt a cinnamomi oleoſis particulis inter deſtillandum ſimul prodeuntibus. Eſt analeptica: dari poteſt vncia vna et vltra.

AQVA CINNAMOMI CYDONIATA.

Huic a ſucco cydoniorum, præſertim ſi non recens expreſſus, ſed mora temporis vinoſam indolem nactus, adhibeatur, peculiaris gratia accedit; vnde analepticis optimis annumerari omnino meretur. Seorſim in ventriculi debilitate locum inuenit: cui ſcopo magis etiam deſtinata eſt, quæ ſequitur,

AQVA CINNAMOMI CYDONIATA COMPOSITA.

De vtraque notandum eſt, quod emulſionibus non bene addatur, ſed eas plerumque præcipitet: quoniam ſuccus cydoniorum, dum digeritur cum cinnamomo, fermentationem vinoſam incoat.

AQVA CINNAMOMI CONTRA PESTEM.

Cui vſui a maioribus noſtris deſtinata ſit, ex titulo patet. Dari poteſt vncia et vltra.

AQVA CITRI COMPOSITA EX SVCCIS.

Dolendum tam bonos ſuccos adeo fruſtra corrumpi. Quid de illa aliqui ſibi promittant, docet ſubiuncta notula. Secure dari poteſt ad binas imo plures vncias.

AQVA CITRI CVM SPIRITV VINI.

Est spiritus oleo corticum citri delicato imbutus, qui instar aquarum, sic dictarum, vitæ iucunde bibitur. Potest in affectibus ventriculi et intestinorum frigidis vncia dimidia, et, pro adsuetis, vltra etiam præscribi.

*AQVA CONFORTATIVA NORIMBERGENSIVM.

Hæc describitur in *Dispens. Norimberg. pag.* 153. Autorem habet b. D. D. CAMERARIVM: estque in inclyta hac vrbe tam celebris, vt mulierculæ in plurimis casibus, præsertim infantum languoribus, eam sponte petant, sub nomine: *D. Camerarii* Wäſſerlein. Parum ab hac diuersa est ea, quæ in pharmacopœa Augustana præscribitur, et in Argentoratensi repetitur. In dosi non facile error committetur; vt et vix casus dabitur, vbi non locum inueniat; modo semper spei et exspectationi responderet.

AQVA CONTRA CALCVLVM EX NVCLEIS.

Est aqua diuretica spirituosa: quod vero calculosis præclare profutura sit non video, quippe quibus magis conueniunt temperantia et nitrosa, quam spirituosa calida et pellentia. Post calidæ potum cochleatim sumtum forte non multum periculi afferet: vt quotidie videmus aqam spirituosam e nucleis persico-

ficorum deſtillatam et dulcem, addito ſaccharo, redditam innoxie potari.

AQVA CONTRA CALCVLVM MARCHIONIS.

Species, ex quibus paranda eſt, omnes bonæ ſunt, ſed menſtruo, ad extrahendum præſcripto, non æque parent, vt promiſſas vires per alembicum poſſit transuehere. Experientiæ permittitur.

AQVA CONTRA COLICAM.

Eſt carminatiua et diuretica: adeoque in colica flatulenta, a cruditatibus profecta, conferre poteſt ab vncia dimidia ad integram adſumta. Vbi vero aliqua cauſa calida ſubeſt, erit ab ea abſtinendum.

AQVA CONTRA GONORRHOEAM.

Eſt QVERCETANI inuentum. Si quid egregium facit, terebinthinæ viribus facit, cuius æthereæ ſubtiliſſimæ partes cum ſpirituoſis vini particulis per alembicum transeunt. Doſis ſit moderata a drachmis duabus ad vnciam dimidiam. D. D. ARGENTORATENSES correctiorem eam elaborare docent, valdeque commendant, a drachmis duabus ad vnciam in vehiculo ſumendam.

AQVA CORDIALIS FRIGIDA HERCVLIS SAXONIAE.

Commendat illam auctor *de febribus lib. VIII. cap. 37. pag. 716.* tanquam in acutis maxime proficuam

cuam ad cor contra malignitatem muniendum, atque roborandum: cujus ſententiæ alii accedunt et præſertim D. PAVLVS NEVCRANTZ *de purpuræ pag.* 443. Neque tamen negandum eſt, quod formula parum concinna ſit: id quod nota etiam adiecta ſatis diſerte profitetur. Dari poteſt vncia, et vltra.

AQVA CORDIALIS TEMPERATA.

In morbis ſubitis et malignis, vbicunque magnus eſt virium lapſus, præſcribitur: quemadmodum etiam prodeſt a morbo conualeſcentibus, ad vires inſtaurandas. Parum ſpirituoſa eſt, adeoque cochleatim et ſucceſſiue propinari debet.

AQVA CORDIS CERVI COMPOSITA.

Antiqua et tralatitia eſt perſuaſio, quod totus ceruus ſit alexipharmacus: vnde ſuppoſuerunt cor eius a corde præcipue arcere venenum: et ex hac perſuaſione aqua hæc profecta eſt, cordialium præcedentium cenſui adiicienda. Mediocriter ſpirituoſa eſt.

AQVA CORNV CERVI e tenellis, cum vino et ſimplex.

Eidem fundamento, nempe gratuitæ perſuaſioni, hæ etiam innituntur. Interim ſunt quidam vetuſtatis patroni, qui talibus multum tribuunt: quibus inuidere bona ſua haud opus eſt. Augeat itaque cenſum cordialium et alexipharmacarum. Simplex

plex ad aliquot vncias; vinosa ad vnam dari poterit.

AQVÆ DIAPNOICÆ.

Possunt præscribi pro vehiculo medicinarum diapnoicarum: addi etiam iulepis et mixturis.

AQVA DYSENTERICA DE TRIBVS.

Subscribo iudicio apposito, quod parum in recessu habeat.

AQVA seu BALSAMVS EMBRYONVM.

Nomen inde habet, quia embryones roborare et reficere debet. Quare grauidis ad abortum præcauendum, fœtum matremque refocillandum, præcipue autem ad noxas terroris subiti auertendas in vsu est. Sed caute tamen cum talibus mercandum est, vbi feminæ sunt plethoricæ et teneriores, in quibus omnia sanguinem expandentia hæmorrhagias potius inducunt, quam auertunt. Etiam in ipso enixu parturientium vires excitat et instaurat. Externe non inutiliter abdomini illinitur, aut, vbi abortus minitatur, crustæ panis tosti, vel pastæ mellitæ adspergitur et vmbilico imponitur. Interne datur cochlear vnum vel alterum.

De vsu externo notatu dignum experimentum legere me memini in vtilissima illa rerum physicarum et medicarum collectione, quam b. D. D. KANOLDVS Wratislawiæ a multis iam annis edidit. Scilicet medicus quidam rure cum familia degebat, vbi nihil medica-

dicamentorum præter hunc balſamum, ad manus habebat. Eo itaque filioli, ob abdominis tormina eiulantis, ventrem illinere iubebat. Is puer, quum breui poſt erumperent toto reliquo corpore variolæ, ne vnicam quidem habebat toto illo ſpacio, cui medicamentum hoc fuerat admotum. Neſcio an experimenta plura inſtituta ſint, præſertim ad faciem ab eruptione variolarum præſeruandam: quod ſane optabiliſſimum eſſet et magno pretio redimendum.

AQVA EPILEPTICA LANGII.

De vſu et viribus ipſemet JOANNES LANGIVS *Epiſt. medicinal. Lib. III. pag.* 781. ita ſcribit: *Doſis ad præſeruandum bis aut ſemel in hebdomade, et proximo die ante nouilunium et plenilunium cochlear vnum, et in paroxyſmo, vel poſt eundem, tantundem.* WEPFERVS *Obſeru.* 135. eam ſolam teneris dare vel ſuadere vix audet; ſed ſuadet aliquam temperatam adhibere. Talis eſt

*AQVA EPILEPTICA PVERORVM,

quæ in *Pharmacop. Auguſt.* deſcribitur, plane nihil ſpirituoſa, quæ pueris ſola; adultioribus cum Langiana mixta, exhiberi poteſt.

AQVA EXPVLSIVA.

Videtur deſtinata eſſe variolis et morbillis expellendis. Exiguo ſane ingenio concinnata eſt, et commendationem vix meretur.

AQVA

AQVA FLORVM OMNIVM.

Vsu fere excidit apud noſtrates medicos : quum olim valde commendata eſſet, et adhuc hodie a plebeiis et empiricis cum fructu adhibeatur ad arthritidem vagam, rheumatiſmum, calculi dolores mitigandos et vrinam ſuppreſſam eliciendam. Sed mallem imitari *Pharmacopœæ Bateanæ* præceptum, quæ addito vino albo deſtillationem fieri iubet, et prolectum liquorem ad vncias quatuor propinare iubet.

Supra vidimus haud multum diſſimilem aquam anti-podagricam. Alii deſtillationi ſubiiciunt fimum equinum, vino albo infuſum, cuius exemplum præbet *AQVA ANIMALIS pharmacopœæ Bateanæ*, quæ ad vncias quatuor ſumta in pleuritide, doloribus, rheumatiſmo commendatur, ſi æger ſudoribus eliciendis ſeſe poſt vſum præbeat commodum. THOMAS FVLLERVS in *pharmacopœa extemp.* ex eodem ſtercore *AQVAM FIMI* parare docet: et certe non inelegans medicus noſtri ſæculi D. D. ZWINGERVS in *theatro prax. med.* paſſim commendat tam infuſum quam *DESTILLATVM HIPPENTERORVM:* cuius exemplum videas ſub titulo: *Colica ſpaſmodica.* Certe non tam abominanda res videtur eiuſmodi deſtillatum, quam vrina recens vaccarum, vulgo *l'Eau de milleſleur* dicta: eam tamen noſtro tempore auide, non ſemel, ſed ad legem integræ curationis vernalis, multi bibunt, magnumque valetudinis ſuæ emolumentum inde exſpectant, immo reportant.

AQVA FORTIS.

A medicis raro adhibetur, sed plurimum eius ad vsus chymicos et mechanicos consumitur. Quum vero nihil aliud sit quam spiritus nitri: non video cur non possimus, si spiritus hic ordinaria methodo destillatus forte non ad manus sit, hanc aquam ad internos vsus etiam vocare: obseruato tantum, ne sit præcipitata, qualem aurifabri et docimastæ suis vsibus præparant. Talis enim ob tantillum argenti adiectum magnopere iam est alterata et caustica. ANGELVS SALA perhibet aquam fortem ob vitrioli admixtos spiritus redditam esse corrosiuam: quod reuera ineptum est. Cur enim non reformidamus etiam clysmum antimonii sulphuratum, qui nihil est nisi nitri et sulphuris combinatus spiritus: quum vitrioli et sulphuris acidum nulla re, sed nomine tantum, differant. Multis de hac re disserit Illustris STAHLIVS, in *prælectionibus chymico-pharmaceuticis*, atque de se asseuerat, quod multum aquæ fortis ad vsus internos consumserit, nullo sequuto incommodo. Confer ea, quæ inferius de spiritibus acidis mineralibus dicemus.

*AQVA GRYSEA.

Talem ad synouiæ fluxum pertinacem conspicue proficuam describit D. D. GOHLIVS *Act. medic. Berolinens. Volum. III. pag.* 86. *seqq.* dignam certe, quæ vlterioribus experimentis commendetur.

AQVA HIRVNDINVM INTERNA.

Notandum est in pharmacopœa Augustana tres aquas hirundinum proponi: vnam, quæ *vsitata* seu *vsualis* dici consueuit; quæ ipsa hæc est *interna* hic designata: duas compositas, quarum vtraque est vinosa et cum castoreo. Harum illa, quæ mox sequitur, ZWELFERO adscripta, et *externa* dicta, illis vocatur *composita maior*. Hæc vsualis est maxime temperata, et tenerrimis dari potest ad cochlear vnum vel duo, in epilepsia, omnique spasmodico affectu; neque omnino fatuam esse compositionem, experientiæ credo.

AQVA HIRVNDINVM ZWELFERI seu EXTERNA.

Hanc non esse ZWELFERI, sed eam, quæ in Pharmacopœa Augustana vocatur COMPOSITA MAIOR, iam monui. Illa enim, quam ZWELFERVS de suo tradidit, ab hac multum diuersa, legitur in *Pharmacop. reg. p. m.* 672. Nostra hæc non solum externis vsibus dicata est, sed omnino etiam interne, adultis, præsertim feminis hysterici, datur, vteri suffocatione laborantibus. Præterea vtrique sexui in conuulsionibus, spasmo, paralysi, apoplexia, offertur cochlear vnum vel alterum. Illud modo obseruandum est, ne inter destillandum ex cuprea vesica noxium metalli contagium contrahat; quod facile fieri, ob vinum et acetum scillinum, intelligitur: factum autem esse obseruatum fuit. Vsus externus est non solum ad odorandum, verum etiam

vt sit loco epithematis in affectibus genus neruosum affligentibus; spina dorsi cum illa fricatur, tempora illinuntur. Vide *Ephem. Acad. N. Cur. Cent. X. Obs.* 99.

AQVA HYPNOTICA.

Ad somnum inducendum excogitata et composita est. Et quanquam non satis ad destillatoriæ artis regulas exacta videtur: neque tamen prorsus contemnenda est. Dari potest vncia vna vel altera.

AQVA HYSTERICA.

Est carminatiua et anodina: potest igitur feminis suffocatione hysterica laborantibus prodesse vncia vna vel altera. Etiam fœtum et secundinam pellere creditur.

AQVA IMPINGVANS.

Nescio an aliquis vsu huius aquæ pinguior redditus fuerit. Experiatur qui volet: in dosi nullum erit periculum.

AQVA LILIORVM CONVALLIVM.

Est ex elegantissimis & optimis officinarum aquis; quæque sola omnium apoplecticarum et epilepticarum locum supplere valet: vt et reuera talium basis est. Aduersus lipothymiam, syncopen, suffocationem hystericam, ventris tormina, interno & externo vsu quotidie adhibetur. Cum succo cerasorum, addito saccharo ad syrupi consistentiam cocto,

fit aqua vitæ vt guſtui & viſui ac odoratui gratiſſima, ſic vtiliſſima. Externe ad diſcutiendum egregie valet. Si reſiduum a deſtillatione exprimas, probeque depuratum blando calore in ſpiſſamentum redigas, miraberis, quam belle illud, ad ſcrupulum vel drachmam dimidiam ſumtum, expurget: prorſus vt aloen Germanicam dicere poſſis. Aquæ doſis, pro eo ac magis vel minus ſpirituoſa eſt, determinatur; poteſtque ad vnciam integram aſcendi.

AQ. LOOCH SANI ET EXPERTI.

Eſt pectoralis, ceterum iam diu obſoleta. Cur hic allata ſit, cauſa ſubiicitur. In doſi nemo facile excedet, quoniam parum actiui ineſt.

AQ. MASTICHINA.

Stomachum confortat. Hinc in diarrhœis, vomitu compeſcendo, nauſea et dyſenteria datur, ad vnciam dimidiam: poteſtque gratior reddi ſyrupo aliquo, vt cydoniorum vel coralliorum, addito.

AQ. MELLIS.

Cui vſui medico inſeruiat, equidem neſcire me fateor. A femellis eam expeti et adhiberi, pro capillo comtiori et auctiori reddendo, fando percepi a veterano pharmacopœo.

AQ. ODONTALGICA.

Eſt ex narcoticis quibusdam concinnata. Experientiæ permittitur quid efficere poſſit, ſi den-

denti dolenti cauo instilles, aut ore eandem continneas.

AQ. OPHTHALMICA.

Oculo tepide instillatur, vbicunque detersione, expurgatione et blanda adstrictione opus est.

AQ. REGIS.

Vsibus chymicis inseruit auro, metallorum regi, soluendo; vnde nomen accepit.

AQ. RORISMARINI.

Est spirituosa, multumque conuenit cum toto orbe celeberrima *aqua REGINAE HVNGARIAE*; nisi quod hæc summe rectificata esse soleat et debeat, et ex solis floribus paretur. Vsus potissimum est externus et apud delicatos quotidianus. In decubitibus humorum frigidis, tumoribus, contusionibus, satis vtiliter et efficaciter externe adhibetur, vel sola vel cum spiritu matricali, formicarum, & similibus mixta. Interne non nisi diluta prius datur, a drachma dimidia ad integram.

AQ. SAMBVCI COMPOSITA.

Multiplici vitio laborat, & vix sambuci nomen tueri potest. Scopus videtur fuisse antiscorbuticus: sed plerumque scorbuticis spirituosa acriora magnas phlogoses et exacerbationes concitant.

AQVA SERPILLI COMPOSITA.

Est certe bona et polychresta. Auctor eius HADRIANUS a MYNSICHT, vocat eam AQVAM BENEDICTAM SERPILLI, deque viribus eius et vsu in *Armamentario medico-chym. p. m.* 319. multis agit. Est cephalica, carminatiua et vterina. Interne ab vncia dimidia ad integram vel binas successiue porrigitur. Externe discutit et roborat.

AQVA STYPTICA.

Alio nomine dicitur *balsamus vulnerarius albus*, et ad D.D.DIPPELIVM, qui CHRISTIANI DEMOCRITI nomine notior est, auctorem refertur. Valde proba est ad glutinanda et consolidanda vulnera recentia, si hoc liquore elota, probe coniunctis labiis, deligentur. Tota virtus pendet ab aceto: potestque simplex vinum Rhenanum paria facere.

Ab eodem Auctore inuenta est aqua styptica sive vulneraria rubra, ex hæmatite, crystallis tartari et aceto destillato paranda: quæ ad sanguinem sistendum tam est efficax, vt, si cani viuo crus amputes, illicoque guttas aliquot ori infundas, omnis hæmorrhagia momento subsistat. Ipsemet, multis præsentibus medicinæ studiosis, Halæ cIↃ IↃCC XVI. cani viuo arteriam cruralem aperui, impetuoseque prosilientem sanguinem mox sisti et super vulnere dense coagulari vidi, quum pauculas guttulas ori instillassem.

AQVA THERIACALIS SIMPLEX.

Est spiritus vini a theriaca abstractus, paullo aquosior quam ille, qui infra occurret, spiritus theriacalis. Viribus alexipharmacis et anodinis non omnino destituitur. Locum itaque inuenit in potionibus diapnoicis, affectibusque catarrhalibus & rheumaticis. Dari potest vncia dimidia vsque ad integram.

AQVA THERIACALIS COMPOSITA seu BEZOARDICA.

Est inuentum RAYMVNDI MINDERERI, medici quondam Augustani clarissimi, de cuius nomine aliquando vocatur CHYLOSTAGMA DIAPHORETICVM MINDERERI. Laudatur tamquam optima morborum malignorum medicina, quippe a centro ad peripheriam corporis omne venenum expellens, et exanthemata retrocessionem minitantia in superficie detinens, retrogressa iterum expellens. Præseruatiue etiam commendatur, tempore, quo contagiosi morbi grassantur, ad cochlear vnum alterumue sumenda. D. D. ARGENTORATENSES habent aliquam *Mixturam simplicem*, quæ hanc, aut non dissimilem, aquam recipit, non spiritum theriacalem.

AQVA TRAVMATICA.

Fere penitus obsoleta est, postquam aliæ, quæ infra occurrent, famam nactæ fuerunt. Interne dari

dari potest vncia dimidia vel integra: externe ad discutiendum potissimum valebit.

AQ. CONTRA VERTIGINEM.

Ex optimis speciebus cephalicis constat, vt et carminatiuis: adeoque illis, quibus ex ventriculi vitio vertigo accidit, interne ad cochlear subinde datum, conducere poterit: externe etiam adhibita caput iuuabit, modo subiectum non sit nimis sanguineum et repletum.

AQ. VIRTVTVM.

Ex optimis speciebus aromaticis et analepticis constat: poterit itaque, tamquam multarum virium particeps, adhiberi, vbicunque vires et motus excitare opus videtur: modo calor febrilis, aut subiecti ad sanguinis ebullitiones ac profusiones faciles proni conditiones non obstent. Dosis est cochlear vnum vel alterum.

AQ. VITAE ALBA PRETIOSA.

Idem fere de hac, quod de præcedenti, dicendum habeo: nisi quod hæc, vt pleræque, quæ aquarum vitæ nomen gerunt, fere tantum, aut vt plurimum hodie, a sanis expeti bibique solent, rariusque a medicis præscribi soleant: quem abusum cuiusuis periculo debemus permittere. Ceterum de recto vsu et admirabili planeque multiplici virtute aquæ vitæ, id est, simplicis boni spiritus vini, ad gratiam, et ad con-

contemperandam nimiam ſpirituoſitatem, ſaccharo edulcorati, legatur JOAN. BAPT. ZAPATA in *ſecret. med. chirurg.* qui non abſurde dicit, quod recto et medico vſu aurum potabile pauperum exiſtat. Sed, quod commune eſt mortalium vitium, ſimplicitate, in qua bonum eſt, non contenti, magno molimine id fere curamus et efficimus, ut ipſismet nobis damna conſciſcamus, aut vſu ſaltem rerum facili et certo excidamus.

AQ. VITAE MVLIERVM.

Vix quicquam differt a ſpiritu matricali, qui infra recenſendus eſt.

AQ. VITAE PECTORALIS.

Omni iſti apparatui, ſatis inconcinno, multum viribus et vſu pectorali præpollebit ſimplex aqua veronicæ vinoſa: de qua videatur ex mente Exc. STAHLII diſſerens D. D. GOETZIVS *obſerv. Stahlian. Claſſ. I. pag. 159.*

AQ. VITAE CONTRA PESTEM.

Lege ſubiectam deſcriptioni notam.

AQ. VITAE C. PEST.

alia contractior.

Eſt potius eſſentia diluta, quam aqua. Fere accedit ad Elixir proprietatis, niſi quod plura habet ingredientia. Dari poteſt cochleatim: excretiones aliquantulum ſtimulando proderit.

AQ. VITAE STOMACHICA EXTERNA.

Est hæc iterum potius essentia quædam, quam aqua vitæ: attamen ad inungendam ventriculi regionem in colica, diarrhœis, hypercatharsi non inutilis. Neque video quid impediat, quo minus interne etiam cochleatim sumi possit.

AQ. VITAE STOMACHALIS RVBRA.

Etiam hæc est essentia diluta; ceterum scopo satis conueniens.

AQ. VULNERARIA seu SCLOPETARIA. it. CATAPVLTARVM.

L' Eau d' Arquebusade.

Magnam ab aliquo tempore famam eiusmodi aquæ consequutæ sunt. Et sane contemnendus non est earum effectus, modo fiant ex herbis recentibus, cum vino ante destillationem satis diu digestis et quasi confermentatis. Conf. D. D. JVNCKERVM in *consp. chirurg. pag.* 356. Vsus frequentissimus est externus, ad fugillata, contusa, dislocata, vt coagulatum ibi sanguinem resoluat, stagnantemque in motum redigat, ipsasque partes roboret: quin vulnera etiam atque vlcera repurget. Attamen interne aliquando porrigitur: præcipue a chirurgis Berolinensibus, quemadmodum legitur in *Act. med. Berol. Vol. III. pag.* 80. quod sexies, immo octies

octies, vno die debuerit integra vncia adſumi. Additur autem ordinatam eſſe illam, quæ *ad interna* vocatur et in officina Regia ex ſingulari præſcripto parata proſtat.

AQ. ZEDOARIAE SIMPLEX et COMPOSITA.

Cenſum aquarum carminatiuarum, et ex parte etiam alexipharmacarum, implent. Sumi poteſt vncia dimidia ad integram.

ARCANVM CORALLINVM.

Alias venit nomine *mercurii præcipitati rubri.* Vſus huius eſt potiſſimum externus, vbi vlcera ſordida expurganda ſunt, aut caro luxurians vel callus exedi debent: quo caſu chirurgi hunc præcipitatum aquæ plantaginis et calcis viuæ immiſcent, tumque linteola carpta aqua tali, vitro prius probe agitato, imbuunt, ſicque loco laboranti applicant. Aliquando etiam vnguentis ſubactus adhibetur. Quam cautionem in locis membranoſis et neruoſis hæc res requirat, ex communibus chirurgiæ præceptis addiſcitur. Quoniam vero, vtpote grauis puluis, ad fundum facile labitur, aut in vnum locum copioſius irruit, eoque ſepſin nimiam exercet: conuenientius eſt, vbi fieri id modo poteſt, tenui penicillo exceptum ſubtiliſſimum puluerem leniter adſpergere.

Interne a quibuſdam porrigitur ad luem veneream expugnandam: vbi caute mercandum eſt, prouidendumque ne vel ſaliuatio præter intentionem excitetur, vel alia ſymptomata, præſertim cardialgica, enormes vomi-

vomitus, excitentur. Legendus est de eo *YVO GAVCKES* in *Obseru. chirurg. cap. de lue venerea.* Vltra granum vnum vel duo non est facile progrediendum: hæcque prudentissime dantur sub forma pilulari, adiunctis extractis et resinis conuenientibus.

Sic impetrabimus, vt mercurialis puluis, tot interpositis particulis, magis disiungatur: dumque pilulæ successiue per intestina prouolutæ soluuntur, in vnum locum omnis non decumbat. Hoc pacto solet diaphoreticum conspicuum effectum edere: qui promouendus et foucndus est apto regimine, et infuso quodam vel decocto ad hunc finem conspirante. Si prima dosis aliquam angustiam et vomendi conatum, quod aliquando fieri solet, attulerit, sequentes, post tertium vel quartum quemque diem præbendæ, omnino tranquille operabuntur. Notandum autem est debere mercurium a salsedine adhærente per decoctionem iteratam cum aqua purissima liberari, aut affuso oleo tartari p. d. in mortario vitreo vel lapideo diu teri, et deinceps edulcorari: deinde aliquoties superfundi spiritum aliquem rectificatissimum, eumque accensum super eo deflagrare: tandem subtilissime puluerisari: in quo obseruaui non parum esse situm. Operosius rem adgredi docet EMANVEL KOENIG in *selectu remediorum s. Ludouico enucleato pag.* 19. quem eundem processum legere memini in collegio quodam MSSto D.D. SCRETAE.

ARCANVM DVPLICATVM MYNSICHTI.

Est sal medium, quod idem præstat, quod a tartaro vitriolato Tachenii, longe quidem parabiliori,

liori, impetramus. Olim ſub nomine panaceæ Holſaticæ magno pretio, et, vt a fide dignis accepi, duplo auri pondere, vendebatur. Vnicum admonendum eſt, vt ante vſum experiamur, vtrum vitriolum per alcali ſatis ſit domitum; alias enim nauſeam et vomitum mouet. Id autem cognoſcimus partim ex colore ad viriditatem vergente, partim ex guſtu: certiſſime vero experimur, ſi portioni ſolutæ inſtillemus oleum tartari per deliquium, quod ſi efferueſcentiam excitet, vlteriori ſaturatione opus eſſe declarat. Quando adhibetur laxandi ſcopo, drachma dimidia, vel integra, dari debet. Vbi autem tantum colliquationem humorum viſcidorum, deterſionemque deſideramus, cum terreis abſorbentibus, vt conchis, lap. cancrorum præparatis, vel puluere radicis ari, aut aliis ſcopo conuenientibus iungitur, ſicque minoribus, ſed pro rei exigentia repetendis, doſibus offertur. Illud etiam notandum, quod vſum chirurgicum eximium habeat ad blandiſſime exedendum fungoſitates carnemque luxuriantem, præcipue ſenſibilioribus partibus, vt duræ matri poſt trepanationem, gingiuis, innatas. Debet autem in ſubtiliſſimum pollinem redactum adſpergi.

ARCANVM TARTARI.

Variis nominibus paſſim celebratur. Vulgatiſſime vocatur *terra foliata tartari:* alii *ſal eſſentiale tartari* nuncupant. D.D. BOERHAAVE *tartari regenerati* nomine appellat, idemque tribuit ipſi *virtutem medicatam ſaponaceam, id eſt abſtergentem, aperientem, penetrantem ſuper omnia medicamenta nota. Vidi*, inquit, *ſane mira per hoc*

medi-

medicamentum præstita : liquefacit enim omnia obstinatissima obstruentia : hinc ad scirrhum curandum mihi optime successit, dum sensim malum resoluere-tur : vnde quoque testantur auctores scirrhum hepatis inde curari. Rectissime adhibetur ad strumas digerendas, & viscerum infarctum ac indurationem curandam : sed aliquamdiu continuari debet. Quoniam ad liberum aerem facillime humiditatem contrahit et liquescit : in forma sicca raro præscribitur; sed potius *liquor terræ foliatæ tartari* adhibetur, potestque a drachmæ dimidio ad integram, et vltra, propinari : sic etiam promte aluum laxat, et retentam vrinam expedit. Quoniam vero est pretiosum et pauperum crumenæ superius medicamentum, pro his licebit præscribere tartarum tartarisatum, seu solubilem, de quo inferius agemus : vel, ex commendatione laudati BOERHAAVE, eius loco detur solutio cinerum clauellatorum cum vigecuplo aceti facta, cocta et filtrata.

AVRVM FVLMINANS.

Exstat in catalogo purgantium, et sunt qui ab ipso longe præclariores effectus, quam ab aliis, exspectauerunt et promiserunt : qui tamen ab experientia nondum comprobati sunt. Incommodum potius est, quod effectum non semper sui similem edere solet. Nam vbi multos in primis viis succos acidos inuenit, satis vehementer copioseque euacuat : quum alio tempore longe mitius parciusque operetur. Miscetur fere tartaro vitriolato vel antimonio diaphoretico. Quando teneris infantibus datur, solet magnas debilitates et anxietates concitare, vt præ

fori-

foribus letum esse metuas. Succedente tandem euacuatione fæces prodeunt nigricantes aut variis coloribus distinctæ: vbi plerumque creditur debilitates illas ex laborioso conatu tam fœdam saburram exquirendi et promouendi esse ortas. Sed et saniſſimis datum fæces ita tingere solet. Præscribitur a grano vno ad quatuor vel quinque. Aliquando loco purgationis satis vegeta diaphoresis euenit.

*AVRVM HORIZONTALE.

Vocatur etiam PANACEA KORNMANNI. Crebro hoc medicamentum adhibuit b. D. D. WEPFERVS, vt ex elegantiſſimis obseruationibus ipsius patet. Binis locis illud describit scilicet *Obs.* 135. *pag.* 634. vbi ad cinnabaris vnciam dimidiam sacchari canti albi drachmæ duæ et olei cinnamomi gutta vnica accedunt: et in medicamentorum formulis operi subiunctis, vbi cinnabaris vnciæ vni, binæ vnciæ sacchari et olei cinnamomi integra drachma adduntur. Prima descriptio morbis capitis, a neruorum vitio pendentibus, melius conuenire, minusque sanguinem commouere mihi videtur. Altera vero proxime accedit ad puluerem illum celeberrimum, quem vulgo vocant das Zellische Gold-Pulver, et propter elæosaccharum cinnamomi eximias vires analepticas possidet: de cetero autem ex viribus cinnabaris æstimari omnino debet: dosis autem ex diuersa sacchari oleique quantitate determinanda erit.

BALSAMVS ANGELICAE.

Balsamus hic, vt ceteri simplices, ex viribus oleorum, vnde parantur, æstimari debet. Jam ve-

ro

ro oleo insunt generales vires sanguinem expandendi, et fibras ad motum vegetiorem blande erigendi, eoque sanguinis circuitum augendi accelerandique, seorsim autem pectorali et vterina virtute celebratur: specialissime creditur in constitutione pestilentiali multum valere. Adhiberi itaque balsamus hic potest ad odorandum temporibus contagiosis: eiusque tantillum ore subinde excipi: a tussientibus quoque modicum in ore dissolutum lente deglutiatur. Hysthericis etiam naribus adhibeatur: et colica flatulenta laborantibus intro detur pisi magnitudine et paulo amplius.

BALSAMVS APOPLECTICVS.

Ex fragrantissimis speciebus et oleis constat, vnde potissimum ad odoris commendationem expetitur. Apoplecticorum naribus, vertici, temporibusque illinitur: quod quidem an realem fructum aliquem, et quantum, afferat, ex indole morbi huius, qui expansiua talia non bene perfert, diiudicandum relinquo.

BALSAMVS APOPLECTICVS PRO MVLIERIBVS.

Componitur pro mulieribus, quæ moschum, ambram, zibethum aliaque dulce fragrantia ferre non possunt. Vsus etiam est externus.

*BALSAMVS ARCAEI.

Balsamo hoc, seu linimento, nihil hodie apud chirurgos Gallos, et Germanorum bene multos, est frequentiori vsu. Eo Galli, post operationes peractas,

actas, fere ſolo vulnera iterum conſolidant. Vſum et parandi rationem lecturus adeat ipſum auctorem FRANCISCVM ARCAEVM, nobilem chirurgum Hiſpanum, *de recta curandorum vulnerum ratione p.m. 22. et 43.* quibus duplicem parandi rationem inueniet. Hodie proſtantes deſcriptiones aliquantum ab auctoris inuento recedunt.

BALSAMVS AVRANTIORVM.

Ob odoris commendationem illinitur: ori etiam pauxillum indi et cum ſaliua ſucceſſiue deglutiri poteſt, ſcopo carminatiuo.

BALSAMVS BEZOARDICVS.

Tempore, quo maligni morbi graſſantur, æque vt ille angelicæ, commendatur.

BALSAMVS CARYOPHYLLORVM.

Etiam hic ex viribus caryophyllorum, quæ in oleo concentratæ ſunt, æſtimandus eſt: Idemque eſto iudicium de illis, qui ſuo ordine ſequuntur, balſamis ſimplicibus, *CINNAMOMI*, *CITRI*, *LAVENDVLAE*, *MACIS*, *MAJORANAE*, *ROSARVM*, *SVCCINI*.

BALSAMVS CEPHALICVS SERENISSIMÆ.

Eſt feminino ſexui gratus et conueniens.

BALSAMVS LOCATELLI.

Passim per vniuersam Europam celebratur. Interne sumitur a drachma vna ad vnciam dimidiam, ad contusiones, vlcera renum et vesicæ, cum vrinæ difficultate. Externe ambustis, vlceribus et vulneribus adhibetur.

* BALSAMVS PECTORALIS MEIBOMII.

Huius per Saxoniam inferiorem celeberrimi remedii descriptionem, quam satis certo confidere possum genuinam esse, apponam.

Rec. Olei amygdalarum dulcium recentis,
Terebinth. Venet. ana vncias duas, totidemque drachmas.
Olei hyperici vncias duas.
Spermatis ceti vnciam dimidiam.
Sanguinis draconis,
Laudani opiati,
Balsami Peruuiani ana drachmas duas
Butyri maialis non saliti vnciam vnam cum semisse.

Misce. F. l. a. balsamus.

Hoc remedium Sereniſſimo cuidam Duci Brunsuicensi a MEIBOMIO ante multos annos præscriptum fuit, quum suspicio magna phthiseos esset: quo ille quotidie vsus ad decem vel quindecim guttulas, conspicuam senectutem satis commode consequutus est.

BALSAMVS PESTILENTIALIS.

Usu conuenit cum bezoardico, insuperque ad aliquot grana interne etiam sumi potest, ab hominibus non nimis feruidi temperamenti.

BALSA-

BALSAMVS SAMARITANVS.

Quia misericors ille Samaritanus, de quo in Euangelio legimus, a latronibus male fauciati hominis vulneribus oleum et vinum infudit: hinc balsamus hicce, seu linimentum ex oleo et vino confectum, nomen accepisse videtur. Vulneribus leuioribus adhiberi poterit.

BALSAMVS SATVRNI.

Vide vnguentum nutritum s. de lithargyrio.

BALSAMVS SCHERZERI.

Alias etiam vocatur Lipsiensis, itemque D. WELSCHII: saltem reuera parua est horum differentia. Est autem non exiguæ vtilitatis: non enim solum odore omnibus grato et tolerabili se commendat, verum etiam prodest in aere infecto vel apud ægrotos degentibus, ori exigua quantitate inditus, vt saliuam successiue prolectam copiosius proiiciamus, ne quid halituosi contagii forte innidulatum ad ventriculum descendat. Præterea in torminibus ventris, præcipue infantum, abdomini vtiliter illinitur. Quin adultioribus modica quantitate interne dari potest cum iusculo in affectibus colicis, flatulentis, hystericis, a causa frigida ortum ducentibus.

BALSAMVM SOMNIFERVM.

Potius vnguentum hoc etiam diceretur: neque multum differt ab vnguento somnifero infra recensendo: nisi quod hic odoris causa olea destillata

adiiciuntur. Vſus eſt mere externus, vt frons et tempora eo illinantur, in continua agrypnia: quod quidem qua cautione fieri debeat, ex cautelis medicinæ practicæ probe æſtimandum eſt.

BALSAMI SVLPHVRIS.

Variæ ſunt compoſitiones eiusmodi, quæ, ſi ad præſcriptum ſimplici digeſtione parentur, nec caloris intenſus gradus accedat, tam parum de ſulphure adſumunt, vt integræ vnciæ vix tria vel quatuor grana ineſſe deprehendantur: quare talia, quicquid agunt, potiſſimum viribus oleorum agere exiſtimandum eſt. Internis vſibus conueniunt *amygdalatus*, qui ad omnia vlcera tam interna quam externa ſecure dari poteſt ad guttas XII. XX. et vltra: *aniſatus*, cuius guttæ VI. X. XII. in moleſtiis catarrhalibus, præcipue pectus infeſtantibus, vt et colica flatulenta vtiliter dantur; a quo parum differt ille, qui dicitur *aniſatus cum gummi ammoniaco*. *Iuniperatus*, ſi cum vero et genuino oleo iuniperino paratus ſit, (de quo conferendus eſt Illuſtris HOFFMANNVS *obſeruat. phyſico-chymic. Lib. I. obſ. III.*) ſcopo diuretico, emmenagogo et carminatiuo, eadem, qua præcedens, doſi adhiberi poteſt: quod ſi vero cum vulgari oleo factus ſit, præ terebinthinato exiguam prærogatiuam habebit. *Succinatus* ad colicam et affectus catarrhales laudatur: eſt vero omnium calidiſſimus et minime transſpirabilis, adeoque non niſi frigidis et craſſis hominibus conuenit. *Terebinthinatus* interne datur ad gonorrhoeam, ſcopo diuretico, eadem doſi, qua aniſatus: externe autem ad vulnera et vlcera partium tendinoſarum, quando valde dolent et madent,

vnica,

vnica, vel pro magnitudine vulneris, plures guttæ, prius calefactæ, inſtillantur: aut, affuſo triplo ſpiritus vini rectificatiſſimi, immittuntur: de quo conſulatur D. D. BOERHAAVE *in Inſtitut. chym. P. II.* 294. 295. (p. 430. ſeqq. edit. Bat.) In genere autem notetur huiusmodi balſamos robuſtis et plebeiis hominibus, vt ruſticis, militibus gregariis, magis conuenire, quam tenerioribus & ſenſibilibus, præſertim ad ſanguinis commotiones pronis.

Externo vſui præcipue deſtinatus eſt ille, qui hic *externus* inſcribitur, et ille *RVLANDI*, qui infra ad emplaſtrum diaſulphuris requiritur, cuiusque deſcriptio in pharmacop. Argentoratenſi vel Bateana legi poteſt. Agit affluxum humorum a parte vulnerata, vel alias affecta, repellendo: quod vbi locum aliquem vel nullum habeat, quaue cautione fieri debeat, ex chirurgia medica addiſcendum eſt.

Denique, ſaltem in admonitionem eorum, qui hæc balſama parant, non inutile erit vel verbulo indicaſſe, quod res caute tractanda ſit, ne magna damna conſequantur. Memorabile hanc in rem exemplum adducit ſupra laudatus D. D. FR. HOFFMANNVS *obſerv. phyſ. Ch. Libr. III. cap. XV.*

BALSAMVS CONTRA VERTIGINEM.

Eſt aliquod quaſi compendium balſami apoplectici. Si moſchum et ambram detrahas, multum commune habet cum balſamo cephalico WEPFERI, quem in Obſeruationibus paſſim commendat. Vſus eſt externus ad inungendum nares, tempora, ceruicem et verticem; aut ſimpliciter ad odorandum.

BALSAMVS VITÆ.

Est balsamus liquidus ex optimis speciebus aromaticis præparatus, non solum externe ad odorandum, partesque debilitatas fouendas, ventremque torminibus, nausea, diarrhœis, inflatione vexatum illinendum idoneus: verum etiam interno vsui ad guttas decem vel viginti non ineptus.

* BALSAMVS VITÆ HOFFMANNI.

Hoc præstantissimum medicamentum celeberrimus Vir D. FRID. HOFFMANNVS domi ipsemet suæ præparat & dispensat: certoque scio neminem id artificium ipso præmonstrante didicisse: adeoque descriptiones omnes, quotquot editæ prostant, genuinam eius præparationem non tradere. Præcipue illud spectat, vt olea destillata omnia sint non modo purissima, verum etiam tenuitatem partium ætherearum annorum decursu non mutauerint aut amiserint: cuius rei caussa non solum ipsemet domi suæ vegetabilium olea quam plurima quotannis destillat, verum etiam ea, quæ annuam ætatem adepta sunt, nouæ destillationi subiicit, vt tenuitatem partium suarum, depositio crassamento, recuperent, ratus quo subtiliora olea fuerint, eo fore magis transspirabilia et interno vsui apta. De multiplice eius vsu tam interno quam externo, ipsemet passim in scriptis suis nos edocet. Dosis est a guttis decem ad quindecim vel viginti.

BALSAMVS VITÆ FRAGANS.

Est vsui potissimum externo destinatus: quanquam nihil prohibet interne etiam modesta dosi illum præbere.

BALSAMVM VVLNERARIVM.

Ad vulnera glutinanda præclarum est: id vero quod sequitur ex terebinthina Cypria et spiritu vini purissimo parandum, ipsa liquida et ad profundius penetrandum apta sua consistentia neruosarum partium, vt et in genere punctim inflictis vulneribus præcipue conducit. Quando adhibere volumus, antea moderate calefaciendum est.

BEZOARDICVM JOVIALE.

Est calx stanni et antimonii, cui magnæ tribuuntur vires diaphoreticæ et anodynæ. Seorsim a BAGLIVO commendatur ad passiones mulierum hystericas. Instar antimonii diaphoretici cum nitro et salibus mediis dari potest, ad grana quatuor, sex et vltra.

BEZOARDICVM JOVIALE SOLARE.

Est magisterium antimonii diaphoretici croco solis permixtum, a quo vires cordiales nanciscì existimatur.

BEZOARDICVM MINERALE.

Nihil aliud est quam calx antimonialis, instar antimonii diaphoretici: hoc certe nihilo melius, si modo æque bonum. Pretio tamen vincit. Multi persuasum habent, quod in variolis peculiare quid præstet: sed nullum exstat prærogatiuæ huius documentum. Dosis est scrupulus ad drachmam dimidiam. Plerumque nitro et aliquibus temperantibus admiscetur.

BEZOARDICVM SOLARE.

Præter vires bezoardici mineralis, ab auro admixto, cordiales insignes possidere creditur: adeoque non solum in febribus, verum etiam chronicis morbis, vbicunque transspiratione auctiore opus est, adhibetur. Exhiberi debet, ZWELFERO in *mantissa spagirica p. m.* 787. monente, scrupulus, drachma dimidia ad duos scrupulos: vbi tamen crumenæ ægrotantis rationes merito habentur: est enim medicamentum satis pretiosum.

BVFONVM CINIS.

Vsus descriptioni citatis etiam auctoribus: quibus ipse testimonium felicis successus in vna paupercula visi adiicere possum: quum vero idem in altera experiri vellem, spes mea deludebatur: cuius caussam tandem detexi fuisse coalitum meatus vrinarii, post prægressam exulcerationem ab vrinæ acrimonia inductam: vnde fieri non potuit, vt vrina per viam ordinariam effluueret. Ceterum fateor me

nullo

nullo modo capere, quo pacto empiricum hoc remedium tantam læsionem resarcire possit. Confer, si placet, quæ hac de re disserui in *Actis physico-med. Acad. Nat. Cur. Volum. I. pag.* 505.

BVTYRVM MAIORANAE.

Solet a mulierculis expeti ad nares infantum, difficilem spiritum per eas trahentium, illinendas. Etiam abdomini vtiliter inungitur, ad tormina sistenda et flatus euocandos. Vidi illud recens paratum et oleo laurino iunctum vtiliter, in viro tympanitico, abdomini, modesta frictione accedente, inunctum fuisse: eandemque mixturam clysteribus iniectam fructum attulisse.

CALX JOVIS.

Germani vocant Zinn-Asche. Vsum medicum nescio: sed mechanici et chemici ea crebro vtuntur.

CAPVT MORTVVM VITRIOLI.

Vocatur etiam *terra vitrioli dulcis* itemque *Colcothar*. Est adstringens, adhibeturque exterius inter pulueres stypticos, nec non ad cicatricem vulneribus ac vlceribus inducendam.

CASSIA EXTRACTA.

Alias pulpa seu flos cassiæ dicitur. Est laxans: sed quoniam per se magna dosi deuoranda, ventriculumque debilitare obseruatum est, rarius hodie

die apud nos adhibetur. Si vero adhibere placeat, recens extractam, adiecto carminatiuo quodam, vt aniso vel fœniculo, portigere iuuabit ab vncia vna ad decem drachmas.

CASSIA PRO CLYSTERIBVS.

Est eadem pulpa Cassiæ cum decocto herbarum aperitiuarum extracta et saccharo Thomæo condita. Oportet autem illas herbas adhibere recentes, parumque decoquere, alias viribus aperitiuis omnino priuantur: siccæ autem per se carent virtute illa aperitiua. Additur enematibus vncia vna et altera.

*CAVTERIVM POTENTIALE INDOLENS.

Laudatissimum hoc et a me aliquoties cum optato fructu adhibitum cauterium, a quibusdam olim inter arcanissima habitum, a FELICE autem PLATERO *obseruat. libr. II. p.* 552. reuelatum; longe vero clarius, et cum necessariis cautelis, a JOANNE HEVRNIO *method. ad prax. lib. I. p.* 68. descriptum, paratur ex lixiuio saponariorum accerrimo cum calce viua parato, in sartagine ferrea tamdiu coquendo, donec omnis fere humiditas abacta sit, iamque siccescere et arescere incipiat. Tunc ab igne remouetur, et massa iam solidescens spatula ferrea eximitur, inque vase vitreo accurate clauso, prope fornacem calidam, asseruatur. Vsus tempore loco, cui necessarium est, emplastrum tenax, in medio, quantum satis est, perforatum imponitur: deinceps foramini cauterium inditur, et aliud emplastrum iniici-

iniicitur, ne a libero aere humiditate attracta diffluat, Ita maneat per horæ dimidium aut trientem, quo tempore elapso craſſiſſima cutis, absque vllo dolore, peruſta et mortificata eſt. Eſcharæ lapſus vnguento roſato vel alio digeſtiuo promouetur. Vocatur ab aliis *lapis corroſiuus*, *cauſticus*, *infernalis*.

CERATVM PRO BREGMATE.

Cerata ab emplaſtris parum differunt: niſi quod pro cerato paullo mollior conſiſtentia requiratur. Hinc fit vt eadem, quæ hic cerata appellantur, alibi emplaſtrorum nomine veniant: quemadmodum huic ipſi accidit, quod infra ſub titulo *emplaſtri de betonica* recurrit, leuiter tantum mutata quorundam ingredientium quantitate. Eſt autem medii æui chirurgis celeberrimis laudatiſſimum, maximeque adhibebatur in vulneribus capitis cranium penetrantibus: ſperabantque ab eo feſtucarum & coagulati ſanguinis, ſubtus deliteſcentium, extractionem. Enimuero deſcriptiones ab illis poſitæ haud parum diuerſæ ſunt ab eo modo, qui hodie obtinet. Videatur JO. de VIGO *Practica Lib. III. cap.* 4. JAC. BERENGARIVS *de fract. cran. cap.* 29. & 39. planeque exiſtimo eam cerati ſeu emplaſtri huius compoſitionem, quam officinæ hodie ſequuntur, coaluiſſe ex *emplaſtro de betonica* medii æui, quod et *emplaſtrum de Janua* dicitur, et *cerato capitali* Berengarii, quod *humanum* appellari ſcribit, quia ingreditur notabilis pars humanæ ſubſtantiæ, id eſt mumia. Præter id, quod vulneribus capitis confert, multum etiam adhibetur in cephalæa, capillis

prius

prius derasis, et in defluxionibus catarrhalibus temporum regioni imponitur.

CERATVM de CVMINO.

Est egregie discutiens et carminatiuum, quod ventriculo impositum illum roborat, flatusque discutit; præterea etiam tumoribus dolentibus et induratis, præcipue mammarum scirrho, valde conducit, de quo legi meretur notabile exemplum, quod D. D. ERNDELIVS *in relatione de itinere suo p.* 132. annotauit.

CERATVM SANTALINVM.

Est a JOANNE MESVE ad nostra tempora conseruatum. Destinauit illud corrigendæ omni intemperiei calidæ ventriculi, hepatis, aliarumque partium. Agit discutiendo et roborando.

CERATVM STOMACHICVM.

Idem MESVE describit, et ad Galenum auctorem refert: in cuius tamen scriptis id non exstare, iam diu a commentatoribus monitum est. Tonum ventriculi roborando, et concoctionem sic iuuando, prodest.

CHALYBIS LIMATVRA PRAEPARATA.

Chalyben ferro simplici merito præferimus ad vsum mechanicum: nescio autem quæ ratio sit idonea, cur pro medico vsu chalybem ferro velimus aut debea-

debeamus præferre. Quum enim fruſtra adſumatur, ſi non in primis viis ſolui contingat: facilius certe ferri limatura reſoluetur, quam chalybis. Neque opus eſt ferri limaturam aceto irrorari, quum ſufficiat tempeſtate humida vel pluuia libero aeri aliquamdiu reponere: aut aqua leuiter conſperſam exſiccare, idque identidem repetere, poſteaque diligenter terere. Aliqui hodie multum tribuunt limaturæ vrina crebro humectatæ, ſicque in crocum ſucceſſiue redactæ. Eſt autem limaturæ huiuſmodi vſus ad tonum viſcerum erigendum et emendandum haud contemnendus. Signum bonæ operationis eſt, ſi fæces nigræ ſecedunt, et faciei color floridus apparet: quando autem neutrum horum accidit, ſed aluus conſtricta manet vel redditur, deſiſtendum eſt ab eius vſu. Præſcribitur ad ventriculi imbecillitatem, omnemque atoniam viſcerum hypochondriacorum, cachexiam et menſium vitia, a nimia fibrarum relaxatione et flacciditate pendentia: in quo quidem obſeruandas omnes cautiones hic locus non capit. Multi largas doſes præbent, drachmæ dimidium et vltra: ſed et exiguæ portiones, grana duo, tria, operæ pretium faciunt, præſertim ſi vſus per aliquot dies continuetur.

CINNABARIS NATIVA PRAEPARATA.

Quantum hodie, fere communi medicorum conſenſu huic tribuatur, eſt notiſſimum. Sed reuera præiudicium olet, quando natiua multis parafangis melior, quauis alia, cenſetur, tantoque pretio redimitur, quia putatur ſolaris eſſe. Si verum fateri volumus, magis circa natiuam metuendum eſt, quam illam facti-

factitiam circumspecte et fideliter elaboratam. Nam multum recrementorum mineralium natiua subinde admixtum habet, de quibus non semper certi sumus cuius sint indolis: et a seplasiariis, quod mihi confessus est aliquis, meque præsente fecit, adulteratur fragmentis auripigmenti rubri nariui. Quum vero medici cinnabarin præscripturi interfit prospicere vt genuinam puramque habeat: tutissime aget, si ipse sibi eam ex mercurio optimo et sulphure, sublimando præparet, vel pharmacopœo præparandam committat, si omnino illi, quæ apud Batauos pulcerrime præparata copiose prostat, non velit fidere. Dicunt enim eam minio adulterari: cuius tamen suspicionis, quæ multos tenet, idoneam aut veram rationem numquam inuenire potui. Vix sola per se præscribitur cinnabaris, sed scopo antispasmodico plerumque diapnoicis, nitro et salibus mediis iungitur, sicque raro plus quam vnum granum porrigitur in singulas doses: attamen in cephalalgiis diuturnis ac inueteratis largior etiam dosis, ad scrupulum dimidium, immo integrum, concedi potest. Vide supra *Aurum horizontale.*

Ante annos non ita multos medicus quidam acriter cinnabarin infantibus datam, et medicos illam præbentes, insurgebat; tantumque non aperte et rotunde venefícos eos declarabat. Enimuero cauſſas tam impotentis iudicii, non sine multorum honestorum virorum iniuria prolati, nullas video. Viuunt sane tam multi, quibus infantibus quondam specificum cephalicum, aut puluis epilepticus rubeus, *in Dispens. Norimbergensi* præscriptus, salutariter datus fuit, vt integer exercitus facile cogi posset testium, hanc ineptam accusationem, ne dicam calumniam, omni exceptione maiori argumento repellentium.

CLYSSVS ANTIMONII.

Est spiritus acidulus, de indole spiritus vitrioli plurimum participans, ex incenso sulphure, tum illo, quod additum fuit, vulgari, tum isto in antimonio delitescente, ac inflammabili nitri portione, inter detonandum coalitus. Vsus est varius: nam præscribitur febricitantibus inter potiunculas, ad gratam aciditatem illis conciliandam: vel sanis cetera, sed appetitum prostratum sentientibus, exhibetur. Vidi continuato eius vsu vermes ab infantibus expulsos, difficilesque epilepsias curatas fuisse: forteque is, qui aquæ hirundinum compositæ primus vitrioli spiritum adiecit, similes casus obseruauit. Dari potest, pro eo ac magis vel minus phlegmate proditus est, a guttis tribus ad quindecim, vel viginti: modo copioso vehiculo aqueo diluatur.

CONDITA.

Maxime adhibentur ad gratiam conciliandam morsulis et electuariis. Seorsim vero fructus acidi præbentur ad solatium calore exustis febricitantibus præbendum. Radices denique quædam, vt et nonnulli cortices, condiuntur vt iucundius comedantur.

CONFECTIO ALKERMES.

Vocatur etiam electuarium ex granis tinctoriis. Per Arabes ad nos deducta est, ab AVICENNA et MESVE descripta et commendata ad syncopen et mœstitiam sine manifesta caussa affligentem. Valde commendata maioribus nostris fuit, instar præstantissimi ana-

analeptici et aphrodisiaci. Videndum autem erit, ne præscribatur completa illis, qui moschum et ambram auersantur: pro his etiam illa, quæ incompleta dicitur, exstat. Atque hanc facile quiuis tolerabit ad drachmam vnam vel alteram: completam vero ægrotantibus vix vltra drachmam dimidiam dare licet, nisi in hominibus valde iam adsuetis: sanis paullo largior dosis parum officit. HILDANVS hanc confectionem in dysenteria maligna commendat *p.* 524. sed drachmam dimidiam non excedit: de quo quid statuendum sit fere dubito, quum ipsi medici Gallici RONDELETIVS et FERRERIVS, teste BARTHOLINO, loco mox citando, suspectam hanc confectionem reddant, eamque dysenteriam induxisse, obseruauerint. CONRADO GESNERO visum fuit syrupum ex rubi idæi fructibus, pro scopo analeptico et stomachico, quibusuis aliis, omnibusque perlis et gemmis, præferendum esse: nec dissimilia de Rob fructuum huius rubi pronunciat TH. BARTHOLINVS *de medic. Dan. domest. diss. V.* quibus auctoribus aliqui ad hanc confectionem parandam, loco succi granorum Kermes Monspelio aduehendi, talia domestica suaserunt. Enimuero, vt præstantem virtutem rubi idæi fructuum agnosco et laudo: absolute tamen accedere isti sententiæ propterea nondum audeo, quoniam in granis Kermes, vt et coccionella, sal aliquod blande stimulans animalis prosapiæ, ad vires millepedum vel cantharidum adspirans, deprehenditur, quo rubi idæi fructus destituuntur; nisi credere velimus vermiculos, nimis cito in illis enasci solitos, raro tam studiose separari posse, præsertim vbi succus in copia parari debet, quin multi simul prælo subiecti succum prolectum inficiant.

CONFECTIO ANACARDINA.

Est per Arabes ad nos hæc etiam deducta. Describit eam MESVE *distinct.* 1. *p. m.* 115. *b.* et ad hoc exemplar officinæ eam parant. Docet et aliam compositionem, simulque vsum ostendit *de aegritudin. capit. cap XXIII.* scilicet ad abolitionem vel diminutionem memoriæ, et præmaturam canitiem, atque morphæam, tamquam expertum et certum remedium, commendatur, si drachma vna vel duæ adsumantur. Hinc *confectio sapientum* a quibusdam vocari meruit. Enimuero in nostris terris non æque respondet exspectationi: quin, teste CASP. HOFMANNO *de medic. officin.* aliqui ab eius vsu maniaci facti sunt, vt catenis opus habuerint: vnde *confectio stultorum* potiori iure dicenda foret. Forte nostro climati non æque, ac calidioribus regionibus adsuetis corporibus, conuenit: quemadmodum nostrates etiam in Asia et Africa degentes experiendo didicerunt, quod multa ex nostris medicamentis ibi vel non efficacia deprehendantur, vel plane noxia. Saltem præstiterit ab ea abstinere, donec certa experientia de tuto vsu prostet, quam experimento temerario periculum alicui, aut valetudinis irreparabile detrimentum, afferre.

CONFECTIO HAMECH.

Hæc confectio maioribus nostris commendatissima, vsque adeo, vt celeberrimus quondam medicus, JO. BAPTISTA MONTANVS, auream eam dixerit, auctorem habet Arabem, non infimi subsellii doctorem, Muhammedem Ibn Zakaria (h. e. Zachariæ filium)

qui a patria ſua Arraſi, vulgo RHASES, cognominatur: Dabatur olim frequentiſſime in quouis morbo chronico contumaci, vt ſcabie, lepra, cancro, febribus quartanis diuturnis, cum decocto vel infuſo ellebori nigri, a drachmis duabus ad ſex vel vnciam integram. Quin nec hodie, vbi concinna medicamenta et paruæ doſes tantopere quæruntur, vſu omnino excidit, et ſeorſim ad luem veneream a quibuſdam expetitur. Primus, quantum inquirendo aſſequi potui, REINERVS SOLENANDER, ſuſpectum hoc medicamentum fecit, quum et in ſuo corpore moleſtias ab eius vſu expertus fuiſſet, et in ægroto hypochondriaco idem male ſucceſſiſſet: de quo legatur *conſilium XXIIs ſectionis quintæ p.* 503. *ſeq.* Hunc ſequutus doctiſſimus CASP. HOFMANNVS aliquanto etiam acrius, quam ipſemet SOLENANDER fecerat, hanc confectionem reprehendit, *inferiorique potius gutturi, quam ſuperiori, deſtinandam cenſuit.* Si quis clyſteribus addere voluerit, vnciam vnam et alteram pro adulto præſcribere poterit. Sed et alius externus vſus eſt, neque is contemnendus, ad aluum arctiſſime clauſam aperiendam. Nimirum miſcetur hæc confectio cum æquali portione vnguenti populei, et plantis pedum apponitur, exoptatiſſimo cum ſucceſſu: meminique pharmacopœi veterani, qui hoc remedio effecit quod omnem ſpem ſuperabat.

CONFECTIO de HYACINTHO.

De viribus et vſu huius confectionis eadem opera agemus, quando inferius *ſpecies de hyacintho* recenſebimus.

CON-

CONFECTVM PRO OCVLIS.

Est miscela variorum confectorum, id est saccharo incrustatorum, seminum carminatiuorum, quorum vsus si oculos non præclare iuuabit, neque offendere multum poterit.

CONSERVAE.

Arabum sunt inuentum, quo conseruantur illa vegetabilia, vel partes vegetabilium, vbi virtus exsiccando perit et exhalat. Vsum præcipuum habent, vt, vna cum conditis et syrupis, inseruiant excipiendis pulueribus, quo boli et electuaria inde conficiantur, sicque minori tædio adsumantur. Quæ conseruæ in officinis prostent, ex indice pretii, seu taxa, facile cognoscitur: singularum autem virtutes ex doctrina simplicium addisci debent.

CORNV CERVI SINE IGNE PRAEPARATVM.

Multi sunt medici, qui huic præparato valde parum aut nihil tribuunt, quippe gelatinosa sui parte orbato, a qua tamen virtus pendere debebat. Attamen non omnino ablatam esse gelatinosam substantiam experiuntur illi, qui puluerem huius cornu aquis addunt, quæ satis cito mucilaginosæ inde fiunt, et non aptæ sunt longiusculæ durationi. Contra vero dantur etiam satis celebres practici, qui ipsi, tamquam temperant. et antispasmodico, ex parte etiam diaphoico, pluriæ mas laudes assignant, eiusque vsu delectantur. Præ-

reliquis autem insigniſſime ad febres malignas hoc ſolo medicamento curandas, ſi cum aqua cardui benedicti adhibeatur, commendauit medicus quidam in *Miſcellaneis Acad. N. C Dec. I. Ann. VI. p.* 186.

CORNV CERVI AVRATVM.

Præter abſorbentes et diapnoicas vires etiam cordiales ipſi a præclariſſimis medicis tribuuntur, ita vt in diſcrimine verſantibus ægrotis multumque languentibus in primis conueniat. Ditioribus maior doſis, ſcilicet ſcrupulus vel drachma media, offeratur; ſed tenuioris ſortis hominibus habita crumenæ eorum ratione.

CRANIVM HVMANVM PHILOSOPHICE PRAEPARATVM.

Pulueribus antepilepticis additur. Sed longe vtilius eſt adhibere cranium hominis cetera ſani, violenta morte peremti, crudum ac nullo artificio alteratum, ſimplici raſura comminuendum. Præcipiunt aliqui cum aquis læuigandum eſſe pulueren ſuper marmore: quod vt ex voto ſuccedat valde vereor. Infanti tenello a granis tribus ad quinque offertur; paullo adultioribus ſcrupuli medium præbetur: omnino adultis drachmæ dimidium conuenit.

CREMOR TARTARI.

Eſt aliqua depuratio tartari, vbi non ſinitur in cryſtallos denuo coire: vnde pulueris groſſioris modo ad fundum decidit: alias, ſi quies concederetur, in cryſtallos abiturus. Adeoque nulla re differt a cry-

a cryſtallis tartari, quæ in ſeparata pyxide officinas ornant: immo vix prærogatiuam aliquam, quæ operæ pretium faciat, præ bono tartaro crudo, obtinet. Datur ad appetitum excitandum ſcrupulus. Etiam alui ſiccitatem pertinaciorem continuato vſu corrigit. Ad inueteratam alui duritiem expediendam commendatur vncia dimidia ſiue cremoris, ſiue, quod efficacius creditur, tartari albi in puluerem ſimpliciter redacti, cum ſyrupo roſarum ſolutiuo in electuarium coacta et pro vna doſi adſumta. Neque male additur martialibus, aut ſuperingeritur, vbi ea, ob defectum acidi, non reſolui cognoſcimus.

CROCVS MARTIS APERITIVVS.

Crocorum martis variæ exſtant in officinis ſpecies atque præparationes, quarum aliæ adſtringentem, aliæ aperientem facultatem, impoſito titulo promittunt. Enimuero in genere notandum eſt, martialium omnium, præſertim ſiccorum, admodum incertum eſſe effectum, et in primis efficaciam aperiendi vel adſtringendi minime poſſe certo determinari atque præſcribi. Quare in caſu grauiori non oportet fidere aperitiuæ facultati: præſertim quum eam numquam exſerant alia conditione, quam vt adſtrictio concurrat aut ſubſequatur. Videatur de hoc negotio in vniuerſum Illuſtris STAHLIVS, *menſe Januario.* Doſis crocorum ſubtiliſſimorum debet eſſe ad pauca grana. Sic STAHLIVS crocum ſuum antimoniatum aperitiuum dare iubet a granis duobus ad ſex in hæmorrhagiis vteri, lochiorum et hæmorrhoidum exceſſu, vt et, certa tamen lege, adfebres inter-

mittentes cohibendas. Ille crocus aperitiuus, qui cum ſalibus præparatur, etſi non multum prærogatiuæ habet præ ſimplici limatura martis ſæpius humectata iterumque exſiccata, et deinde ſalibus iuncta, præſertim mediis: videtur tamen in febrium intermittentium curatione non omnino contemnendus, quum ſalia adiecta aperitiuum effectum determinent, ſtricturamque nimiam, ab abuſu martialium forte inducendam, impediant et expediant.

CROCVS METALLORVM.

Aliquanto mitior eſt vitro antimonii: ſed hominibus interne ſumendus non conducit. Canibus drachma vna vel altera, equis vnciæ dimidium, ad integram, quotidie porrigitur a veterinariis. Infuſioni extemporaneæ, ad parandam aquam benedictam Rulandi, conuenit. Hæc vero ipſa aqua, vt et tartarus emeticus, ſi cum hoc croco parentur, debiliores vires exſerunt, quam ſi vitrum antimonii fuerit adhibitum. Aliis vocatur *hepar antimonii.*

CROCVS SOLIS.

Pretii augendi gratia pulueribus bezoardicis, et quibusuis aliis, adiungi poteſt.

CROCVS VENERIS.

Externe ad detergendum, ſiccandum exedendumque ophthalmicis aquis et collyriis additur: nec non vnguentis ad vlcera depuranda iungitur, immo ſolus vlceribus inſpergitur. Internus vſus non eſt ſatis fidus aut ſecurus: nauſeam enim et vomendi conatus excitat.

*CRYSTALLI LVNAE.

Vocantur etiam *vitriolum Lunæ*, itemque *magisterium lunare.* Adhibentur ab aliquibus ad hydropem curandum: danturque grana duo ad sex. Effectum edunt aliquando potenter diureticum, sæpius vomitorium aut purgantem. Enimuero periculum erosionis et gangrænæ, ob causticam suam indolem, minantur, adeoque insecuris remediis annumerari debent.

CRYSTALLI TARTARI.

Vide supra de *cremore* dicta.

*DECOCTA.

Vetustissimi sunt in medicina vsus, iisque maiores nostri potissimum vtebantur pro dissolutione et vehiculo medicamentorum solutiuorum et cathartico-rum, vt et ad humorum, sicut loqui amabant, præparationem. Neque hodie exoleuit illorum vsus, etsi non adeo frequenter amplius tam diffusæ formulæ adhibentur, postquam plerique persuasum habent concinnis istis et concentratis chemicorum præparatis, exigua quantitate sumendis, plus virium, gratiæ et decoris inesse. Occurrent inferius species pro aliquot decoctis, vbi de vsu eorum commodius erit differendi tempus. Exempla multorum decoctorum ad varios morbos præbet THOMAS FVLLER in *pharmacopœa extemporanea.*

*DECOCTVM ALBVM.

Est simplicissimum, sed in febribus ad æstum et sitim bene conueniens, SYDENHAMO et BOERHAA-

VIO laudatum. Paratur ex mica panis et rasura cornu cerui simplici aqua decoctis. Colatura potest syrupo acetositatis citri ad gratiam condiri.

DECOCTVM ALEXIPHARMACVM.

Destinatum videtur febribus epidemiis malignis et catarrhalibus, vt et variolis morbillisque expellendis, continuæque transspirationi conseruandæ: immo etiam ad præseruationem ab eiusmodi morbis. Hodierna praxis ad tam diffusas medicinas raro venit.

*DECOCTVM AVENAE.

Nostro æuo magnam famam nactum est, quæ a Britannis orta totum orbem peruagauit. Est autem vere imitamentum decocti hordei, cui radices cichorei siluestris, et nitri modicum, accessit: gratiæ autem caussa sacchari parum additur. Laudem omnino meretur, quod humores diluendo et æstum temperando, præ aliis potuum consuetorum generibus, sanitati conseruandæ et morborum chronicorum radicibus sensim euellendis, inseruiat. Legi de præclaris virtutibus huius potus meretur RICHARDVS LOWERVS, et FRID. HOFFMANNVS *in dissertatione de cura auenacea*, ubi et parandi et vtendi modus latissime exponitur.

DECOCTVM CORNV CERVI EX RASVRA.

Tam simplex, quam bina sequentia cum hordeo et scorzonera, egregium habent vsum in febribus ad sitim leuandam et acrimoniam seri obtundendam.

Etiam

Etiam ſenibus et arthriticis egregie prodeſt. Poteſt etiam tale decoctum ſimplex, aut hordeatum, adiectis amygdalis pineisue, in emulſionem redigi, cuius vſus optatus eſt in dyſenteria, ſitimque egregie ſolatur. Gratiæ etiam cauſa decoctum temperari poteſt ſyrupo acetoſitatis citri: aut flauedo corticum ſaccharo detrita ſola immiſceri poteſt: quæ ſingula ex circumſtantiarum rationibus probe perpenſis inſtitui debent.

DECOCTVM HORDEI.

Vetuſtiſſimi auctores ptiſanæ multum tribuebant, præſertim in curatione febrium diætetica. Ea parabatur frequentiſſime ex hordeo decorticato, addito aliquantillo ſalis, olei, aceti: nonnumquam etiam anethi aut porri. Temporis tandem progreſſu huic veterum ptiſanæ decoctum hordei integri ſubſtitutum eſt: idque, vt exiſtimo, ex ea perſuaſione, quod furfuribus ineſſe vim deterſiuam exiſtimabant: ad id forte inducti, quod veteres panem a furfuribus non plane liberum docuerant aluum magis apertam ſeruare, quam illum, qui ex puriſſima farina confectus eſt. Non licet hic multum diſputare, quam legitima ſit hæc conſequentia a furfuribus in ſubſtantia ſumtis ad eorundem decoctum, cui cortex ille hordei ſemina cingens, et furfurum potiſſimam partem conſtituens, parum ſane præclari largietur. Quicquid igitur hoc genus potus boni ægrotantibus confert, potiſſimum ex eo prouenit, quod aquæ diluentis beneficio humores fluidiores redduntur, quo melius per vrinam et tranſpirationem depurari poſſint: et quoniam nullum augendi calorem febrilem iniicere metum poteſt, ad ſatietatem indulgeri ægroto ſitienti

omnino poteſt. Etiam ab antiquo inter gargariſmos commendatur hoc decoctum, vel ſolum, vel melle ſimplici aut roſato dilutum. Decocti huius *cum ſcorzonera* vſus potiſſimus eſt in morbis malignis: *cum cornu cerui* etiam parati fructus hic eſt, vt acres humores magis obtundat gelatinoſitate ſua, et aliquantulum nutriendo vires fulciat.

*DECOCTVM LAXATIVVM MANAGETTAE.

Vocatur etiam *infuſum laxatiuum*; quem titulum meliori iure, quam illum decocti, gerit; itemque *aqua laxatiua Viennenſium*. Optime deſcribitur a JOAN. ZWELFERO *pharmacop. regiæ Claſſ. II. initio p. 515*. Eſt modus commodiſſimus ſenna ad laxandum vtendi. Pro doſi vnciæ tres vel quatuor ſufficiunt. Auctorem habet celeberrimum quondam medicum Cæſareum D. D. JO. GVIL. MANAGETTAM.

*DECOCTVM SENNAE D. GEREONIS.

Hoc apud Anglos non minori in vſu et exiſtimatione eſt, quam apud nos modo recenſita aqua laxatiua. Deſcriptio exſtat in *pharmacop. Auguſtana Claſſ. VII. Sect. II.* Baſis eius eſt ſenna, cui adiuuantia et corrigentia quædam iunguntur. Non raro ipſi mannam adiungunt: vnde præcedenti admodum ſimile euadit: aliquando fortioribus morbo accommodatis, vt elaterio, ſucco iridis, ſtimulatur. Deſtinatum eſt morbis, quos veteres melancholiæ ortum debere credebant, vt quartanis, cancro, lui venereæ, &c.

DIA-

DIACYDONIVM SIMPLEX.

Vocatur etiam *Diacydoniatum lucidum* seu pellucidum. Non solum grato sapore et colore se commendat, verum etiam viribus blande roborantibus ventriculo conuenit, et diarrhoeis vel fluxui cœliaco obnoxiis prodest. Dari a quibusdam solet febricitantibus, præsertim quotidiana intermittente laborantibus, finito paroxysmo. Sumitur drachma vna vel altera.

DIACYDONIVM CVM SPECIEBVS.

Alias vocatur *diacydoniatum aromaticum*. Ob aromata adiecta calidum est, et non nisi extra febrim conuenit. Stomachicum est et carminatiuum.

DIACYDONIVM LAXATIVVM.

Alii inscribunt *Gialappinum*. Iucunde sumitur etiam ab illis, qui alias medicamenta abhorrent. Si ad libras singulas diacydonii resinæ gialappæ vncia vna sumatur, vt in *Dispensator. Argentoratensi* præscribitur, quælibet drachma resinæ tria grana continet. Placet etiam, quod ibidem monetur, vt resina potius cum pinea teratur, quam in spiritu soluta addatur: ita enim fit, vt diacydonium hoc quamuis potionem vel aquam promte ingrediatur.

DIAGRYDIVM SVLPHVRATVM.

Rectius scribitur dacrydium: vocatur etiam *scammonium sulphuratum*. Scammonii antiquissimus

mus eſt vſus, vnde fere omnium electuariorum aut pilularum purgantium, ab antiquis ad nos deductorum, magnam partem conſtituit. Quoniam vero non ſine moleſtia ſubinde operatur, de variis corrigendi modis cogitatum eſt. Sic antiquitus ſucco cydoniorum, myrobalanis et maſtiche temperatum, ſub titulo diagrydii aut ſcammonii præparati, exſtabat, et adhuc paſſim proſtat. Chymici mitius reddere laborabant interpoſitis particulis ſulphuris: eo, ni fallor, adducti exemplo antimonii crudi, quod admodum mite eſt, quamdiu regulinis particulis ſulphureæ intermixtæ ſunt: his autem ſubtractis potentiſſimum effectum edit catharticum. Enimuero nec hæc præparatio omnibus ſatisfacit, quippe caſtratio potius quam correctio eſſe videtur. Doſis eſt a gr. VII. ad XV. vix autem ſolum præbetur, ſed plerumque pilulis ſtimuli loco additur: etſi ipſum ſtimulo eget, optimeque agitur ſi trochiſcorum alhandal vno vel altero grano excitatur. Optimus ſcammonii exhibendi modus ille mihi videtur, quem inferius ſub titulo *Eſſentiæ Scammonii* attingam.

* ELÆOSACCHARA.

Proſtant, aut ad præſcriptum ex tempore parantur, varia ſimplicia, vt aniſi, fœniculi, cinnamomi, et complura alia. Plerumque ad vnciam ſacchari octo guttæ olei deſtillati aſſumuntur, vt vnica drachma guttam vnam contineat: qui modus commodiſſimus videtur. Alibi vnciæ vni adduntur guttæ decem. Id habent commodi, quod puluerib̃us æque ac mixturis aquoſis facile vniantur, virtutemque medici-

dicinarum gratiamque augeant. Aestimari autem debent ex oleorum destillatorum virtutibus. Quando per se dantur, cuspidatim sumendæ præcipiuntur.

*ELÆOSACCHARVM CEPHALICVM.

Frequenti in vsu fuit b. D. D. WEPFERO, vt ex *obseruationibus* eius apparet. Descriptio videatur *pag.* 606. *et* 798. adde *pag.* 367.

ELECTVARIVM ANTIFEBRILE.

Non satis concinnum mihi videtur, ob præponderantem alexipharmacorum calidiorum societatem. Vnciæ dimidiæ paullo plus vno opii grano inest, et corticis Peruuiani, lignique colubrini, singulorum grana quatuor: quare vltra hanc dosin ascendere non licebit. Si quid boni præstare experiendo constat, vix dubito præcipuum fructum opio adscribere, atque in eo hoc electuarium conferre theriacæ, qua ad febres curandas veteres etiam multum vtebantur. Simplicius est electuarium antifebrile D. D. ARGENTORATENSIVM, quod *vulgare* ab ipsis denotatur *pharmacop. p.* 37. quippe solis cortici chinæ et sali ammoniaco rem omnem permittit: quod ad drachmam vnam, aut paullo amplius, post paroxysmum exhibetur, singulisque quatuor horis repetitur: corpore tamen prius, vt decet, præparato, reliquisque cautelis recte obseruatis. Est quoque in nouissima editione *Electuarium antifebrile* D. D. BERGEMANNI, quod omnino securum et laudabile est.

Ele-

ELECTVARIVM de BACCIS LAVRI.

Est inuentum RHASIS, quod proponit libro IX. *ad Almanſ. cap. de colica*, et in colica a cauſa frigida, auellanæ magnitudine, cum vncia vna vini calefacti, repetitis vicibus ſumere iubet. Quoniam vero minorem mellis quantitatem, quam hic præſcripta eſt, aſſumere docet, ſcilicet puluerum ponderi æqualem, (forte vino vel alio liquido ad neceſſitatem diſtemperandam) doſis duplo vel triplo maior offerenda eſt. Enimuero hodie rarius intro ſumitur, et potius enematibus deſtinatur, quibus vſque ad vnciam et vltra, cum oleis et ſtimulo ſalino, inditur, quoties flatulentia moleſtiam creat.

ELECTVARIVM BENEDICTÆ LAXATIVÆ.

Vocatur etiam *benedicta laxatiua Nicolai:* idque nomen, auctore MASSARIA, accepit, *quia nullus eſt, qui illud accipiat, quin illi benedicat.* Doſin eius ſtatuit quatuor drachmas ad vnciam integram. Tribus drachmis inſunt radicis turbith grana nouem, diagrydii vero, eſulæ et hermodactylorum, ſingulorum grana quatuor cum dimidio. Sed noſtra ætate vix amplius intro ſumendum præſcribitur, fereque tantum enematibus additur.

ELECTVARIVM CAMPHORATVM.

Valde conuenit cum electuario de ouo, quod inferius videbimus.

ELE-

ELECTVARIVM CARYO-COSTINVM.

Nomen accepit a caryophyllis et coſto, compoſitionem ingredientibus. Dicata autem eſt illa bili vtrique euacuandæ et cachexiæ emendandæ. Septem drachmæ habent dacrydii quindecim grana, et tantundem myrobalanorum.

ELECTVARIVM CATAR-RHALE.

Conſtat ex balſamicis et aromaticis; adeoque, tonum ventriculi roborando, et, ſanguinis circuitu blande accelerato, transſpirationem conſeruando ac intendendo, catarrhali conſtitutione ſatis commode dari poteſt ad vnciam integram; præſertim ſi ſpecies aromaticæ incompletæ adſumtæ fuerint: quod pro illis, qui odores ferre non poſſunt, conſultius fit, qaam ſi ſpecies, vt præſcriptum eſt, omnino omittantur.

ELECTVARIVM CHALY-BEATVM.

Huius medicamenti auctorem fuiſſe FABRICIVM BARZONIVM, admonent D. D. AVGVSTANI: iidemque docent vſum eius in cachexia muliebri et virginum albo ictero præclarum eſſe, atque a ſummis quondam medicis, CRATONE, MENTZELIO et MEERMANNO comprobatum. Drachma vna præparati chalybis grana circiter duodecim continet.

ELE-

ELECTVARIVM DIACA-THOLICVM.

Vocatur etiam *antidotus catholica*, id est vniuersalis, quæ omne humorum genus expurgat. Particnla *dia* est græca διὰ, et ab huius gentis scriptoribus adhibetur ad designandum ex quonam hæc vel illa medicina paretur: vnde apparet valde incongrue eam in denominatione huius electuarii adiungi. Sed vsus est tyrannus, multaque huius generis in lingua pharmacopoeorum supersunt ex barbarie medii æui. Est electuarium satis grati saporis et blandarum virium, valdeque existimatum maioribus nostris fuit, quibus in ipsis acutis et peracutis morbis, ad subducendos prauos humores, frequenti in vsu fuit positum. Datur ab vncia dimidia ad integram. Hodie frequentius addi clysteribus solet, vbi non minus vncia integra poni debet: quin ad binas progredi licet. Nihil habet ex validis purgantibus: vnde nec clysteribus, vbi acri stimulo indigemus, admisceri debet.

ELECTVARIVM DIACORI.

Vocatur etiam *Diacorum Mesuæ*, a quo describitur *de ægritud. neruor. cap. I.* Commendatur ad neruorum ægritudines omnes, ad sensus acuendos et memoriam confortandam. Peculiariter senibus catarrhosis, imo etiam cachecticis et hydropicis bene facit. Dosin eius auctor præscribit vnciam vnãm, mane et vesperi adsumendam.

ELE-

ELECTVARIVM DIAPHOENICON.

Basis huius medicamenti est turbith, cui, instar iuuantis, accedit scammonium: corrigentis autem loco dactyli nondum penitus maturi, adeoque subadstringentes, ab Arabe inuentore adiecti sunt, iique aceto per triduum macerandi. Sed hoc consilium apud nos exsequi non licet, qui caremus dactylis talibus, quales requiruntur. MASSARIA iudice, inter cetera omnia medicamenta ad purgandam pituitam accommodata, hoc principem locum obtinet, testaturque se præ ceteris illo familiariter et libenter fuisse vsum. Datur a drachmis quatuor ad sex, in hydrope, morbis soporosis, apoplexia serosa. FERNELIVS hoc electuarium concinnius reddidit aucta purgantium quantitate, et mellis aliquota parte detracta; cuius institutum a DD. AVGVSTANIS laudatur. Ad huius præscriptum parati minorem esse dosin debere, admonitione haud eget.

ELECTVARIVM de PRVNIS LENITIVVM.

Dicitur etiam *Diadamascenon*, quia pruna Damascena ingrediuntur. Duriorem aluum blande lenit, omninoque nihil habet ex classe purgantium: dari itaque ad vnciam integram secure potest. Sed non debet hoc simplex lenitiuum confundi cum *diapruno SOLVTIVO seu LAXATIVO*, quippe quod ex lenitivo fit, si vni libræ lenitiui addatur vncia vna scammonii. Hoc itaque diaprunum laxatiuum seu solutiuum in singulas drachmas accipit quinque gra-

na ſcammonii præparati ſeu dacrydii: ex quo apparet non facile vltra tres drachmas adſcendi debere. Sed alii, præeuntibus VALERIO CORDO et BRICIO BAVDERONO, pharmacopoeo Pariſienſi, ad libram ſimplicis diapruni tantum quatuor drachmas diagrydii aſſumunt: cuiuſmodi diaprunum compoſitum maiori doſi offerendum eſſe per ſe patet. Si enematibus addendum eſt, quod hodie ſæpe fit, hæc vltima, quæ ſcammonium habet, præſcribenda eſt.

ELECTVARIVM DIASATYRION.

IO. MESVE olim duo electuaria diaſatyrion propoſuit, quorum alterum hecticis et tabidis, tamquam inſigne analepticum commendatur; alterum veneri excitandæ et ſtimulandæ deſtinatur. Ex his ambobus NICOLAVS SALERNITANVS vnicum concinnauit, omiſſis quibuſdam ingratioribus: idque vtrique vſui dicatum voluit. Sed vereor vt pro tabidis et hecticis ſatis idonea ſit hæc medicina: ſcopo diuretico aliquid promittit. Sumendum præcipiunt cum bono vino veteri ad vnciæ dimidium.

ELECTVARIVM DIASCORDIVM FRACASTORII.

Eſt compoſitio paſſim apud bonos auctores laudatiſſima, et reuera magni vſus. Conflata eſt ex alexipharmacis, adſtringentibus et terreis ac incraſſantibus, et opii admodum modico, vt vncia integra nondum duo grana complectatur. Quare boni ſedatiui loco, ſecurius etiam quam theriaca adhiberi,

ri, ipſisque pueris et grauidis, ſi cetera paria ſint, dari poteſt, vbi torminoſæ deiectiones, ſingultus, vomitus compeſcendi. Auctor illud præcipue deſtinauit morbis malignis et contagioſis, ipſique peſtilentiæ, ſed, quod notabile videtur, cum largo vehiculo acido, ad aliquot vncias adſcendente, vt ſuccis trifolii acetoſi, citri, ipſoque vini aceto, ſumendum. SYDENHAMVS alicubi ſic commendat: *Præclarum ſane medicamentum, modo ea quantitate exhibueris, quæ remedii potius quam tituli menſuram impleat.* Alibi ad ſingultum in febribus continuis compeſcendum iterum ſuadet largam doſin, nempe duas drachmas: et diarrhoeis, eidem febri accedentibus, mederi iubet enemate, cui diaſcordii tres drachmæ iniiciuntur. Videas autem alios Anglos nonnunquam altius in diaſcordio præbendo adſcendere et ſex drachmas intro ſumendas præcipere.

Enimuero incommodum eſt in hoc electuario, quod drachma integra parum ſupra decem grana puluerum recipiat; reliqua autem moles mel et conſerua roſarum eſt: quare celeberrimi medici de emendatione eius cogitauerunt. Eius ſtudii ſpecimen dat diaſcordium Sylvii, quod mox ſequitur. Quid Ill. STAHLIVS de eodem ſentiat, legere licet in eius *obſeruat. medico-pract.* ab Exc. D. D. GOETZIO editis *pag.* 71. 72. nosque infra attingemus, vbi de *diaſcordio liquido* STAHLII, hoc eſt *Eſſentia eius alexipharmaca*, loquemur.

ELECTVARIVM DIASCORDIVM SYLVII.

Quid celeberrimo quondam viro D. FR. de le BOE SYLVIO in Fracaſtoriano diaſcordio diſplicuerit,

rit, ipsa emendatio docet. Scilicet mellis et sacchari in conserua rosarum nimia quantitas, non omni morbo conueniens visa, ipsum primo offendit: deinde etiam adstringentium nimia copia ipsi displicuit: tandem, quod pleraque vegetabilia terrestri suo principio profundius immersas vires fouent, huic incommodo per extractionem mederi voluit. Insuper dosin opii tantopere auxit, vt drachma dimidia integrum circiter granum habeat: ex quo dosin huius diascordii, additis indicationibus praesentibus, metiri oportet. Cum aceto dari commodissimum existimo. Videatur ipse SYLVIVS *Prax. med. lib. I. cap.* 58. vbi descriptionem proponit, dosinque determinat a. gr. XV. ad scrupulum vnum.

ELECTVARIVM DIA-SENNAE.

Vsu fere omnino iam excidit hoc electuarium, melancholiae expurgandae a veteribus destinatum. Est satis vehemens, quare, monente MASSARIA, moderate offerri debet, scilicet a duabus drachmis ad vnciam dimidiam.

ELECTVARIVM CONTRA DYSENTERIAM.

Basis eius est puluis dysentericus, qui infra occurret, ex adstringentibus variis compositus. Is puluis ne vni loco confertim inhaerescat, interpositis conseruae rosarum et diacydonii particulis, impeditur. Offerri poterit ad vnciae dimidium et vltra.

ELECTVARIVM EPISCOPI.

Veteribus valde aestimabatur, quod et gratum satis videtur sumentibus, et bilem pituitamque blan-

de

de ducit. Dari poteſt vncia dimidia ad drachmas decem. Solebant quoque veteres, omiſſo melle, ſolas ſpecies, addita ad drachmam earum ſacchari vncia vna, in rotulas redigere.

ELECTVARIVM PRO GRAVIDIS.

Eſt ex analepticis, carminatiuis et blande roborantibus compoſitum, poteſtque, ſi recens paratum ſit, (non enim fert ætatem) vtiliter, aut ſaltem innoxie, indulgeri ſubinde ad vnciam capiendum.

ELECTVARIVM HIERÆ PICRÆ SIMPLICIS.

Hiera eſt nomen Græcum, ἱερὰ *ſacra*, ſubaudiendumque eſt *antidotus*. Sacram vero dicebant veteres medicinam aliquam, quæ arcana habebatur, vel quondam fuerat habita, aut quæ magnam ederet efficaciam: de quo videatur SCRIBONIVS LARGVS c 99. *Picra* (πικρὰ) dicitur ob amaritiem. Variæ iſtiuſmodi compoſitiones apud veteres in vſu fuerunt: hæc autem a GALENO *meth. med. VII. cap.* 9. magnopere commendata ante reliquas auctoritatem obtinet. Ab hoc itaque antiquum vtendi modum accipiemus. *Præſtantiſſimum* inquit, *hoc medicamentum eſt, ad vitioſos ſuccos, qui in tunicis ventriculi habentur: vtiliusque eſt eo ſiccoex aqua vti, duorum paruorum cochlearium menſura, vbi mediocriter ac medio quodam modo vti ſtudemus. Nam maximus eius modus ac abſolutiſſimus eſt duorum, non vtique paruorum ſed magnorum, potio in aqua temperata cyathis tribus, mi-*

nimus vnius parui. — *Sunt qui reponunt medicamentum, excipientes id despumato melle: et fit quidem ita durabilius, ceterum non perinde ad propositos hoc loco affectus vtile, quum et minus ventriculum roboret, et magis aluum deiiciat.* Addatur *de sanitate tuenda L. VI.* Si itaque Galenus cochlearia sumere de speciebus iubet, facile cognoscitur Electuarii, quod triplum mellis adiunctum habet, satis magnam portionem requiri, vt iusta dosis impleatur. Nil itaque mirandum, si veteres, aluum laxandi scopo, vnciam integram aut sescunciam sumere imperarunt: quod in nostris ægrotis, iucunditati et dosium paruitati adsuetis, nemo facile impetrabit, etiam si aloes magnam copiam sine necessitate ingerendam non reformidaret. Sed de hoc non licet hic esse prolixioribus: addantur, quæ infra ad species hieræ picræ commentabor. Drachma specierum continet XXXX. circiter grana aloes: Electuarii vncia dimidia specierum drachmam vnam complectitur. Vt plurimum hodie eius vsus in clysteribus esse solet. Sed vbi vere acrem stimulum adhibere opus est, parum præstabit, etiamsi ad vnciam et vltra imponatur: longeque plus efficiet hiera diacolocynthidos, de qua mox dicemus.

ELECTVARIVM HIERÆ
cum AGARICO.

Vocatur etiam *hiera pro clysteribus*: saltem id nomen hic superscribitur: quamquam veteres hoc nomen tribuebant illi apud NICOLAVM MYREPSVM, quæ apud D. D. AVGVSTANOS vocatur *Hiera composita Nicolai*, et ob sedecim, quæ præter aloen adsunt, ingredientia, etiam vocatur *hiera*

ex

ex ſexdecim rebus, itemque *hiera magna*. Atque hac magna maior tamen eſt ingredientium numero, et acrium viribus, illa quæ vocatur *hiera Logadii*. Atque harum alterutram, pro indicationis indole, oportet pro clyſteribus adſumere, a drachmis quatuor ad ſex, octo vel decem. Hæc autem cum agarico ſegnis eſt: intus vero data, ob agaricum adiectum, aliquanto efficacior eſt ſimplici, quæ ſola aloe debet agere.

*ELECTVARIVM HIERÆ DIACOLOCYNTHIDOS, quæ et PACCHII vocatur.

Hanc PAVLVS ÆGINETA *Lib. VII. c.* 8. ad Archigenem auctorem refert: ſed SCRIBONIVS LARGVS eam ex Pacchii Antiochi, qui eam ſecretam habuerat, et magnos quæſtus ex ea, propter crebros ſucceſſus in vitiis difficillimis fecerat, poſthumis ſcriptis erutam primus publicauit, eiusque nomine inſigniuit. Mira et inuidenda ſunt elogia, quæ huic hieræ tribuit a capite XCVII. ad CVII. Commendat ſcilicet eam ad lateris dolores, ſiue cum febre, ſiue ſine febre fuerint, ad morbum comitialem, maniam, cephalalgiam, ſubitas præfocationes, ſpaſmum, tetanum. *Præcipue vero*, inquit, *ad pectoris et lateris dolores prodeſt, ex qualibet cauſa factos ſiue latente et occulta, ſiue manifeſta, vt ex ictu, caſu, conatu aliquo ſupra vires, vel ponderis ſupra modum portatione, vel contuſione, quæ frequenter gladiatoribus accidere ſolet in luctationibus, et eorum maxime ſauciatis. Nec minus arbore alta delapſis, vel ſcalis deuolutis, excuſſis a rheda vel vehiculo atque ita tractis. Sed his, id*

eſt manifeſta ex cauſa vexatis, cum aceti cyathis tribus quatuorue danda erit antidotos: illis vero, qui ex cauſſa occulta laborant, ex aqua mulſa proderit. Porro ſingulariter laudatur ad duritias in mammis mulierum cum dolore conſiſtentes, ad ſtomachicos, nauſeantes, continuo vomentes. Diſerte addit Scribonius: *Illud vero ſupra omnium opinionem eſt, quod ad ſtomachicos euidenter conuenit, quum ſit viroſiſſimum medicamentum aduerſus ſtomachum, ne ad lenia quidem et ſimplicia medicamenta ſatis apte diſpoſitum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior vſus ratione eſt: expertus enim vnuſquiſque intelligit ſtomacho quoque hoc medicamentum eximie prodeſſe.* Et aliquibus interiectis: *Illud vtique credas interim velim mihi, dum in aliis expertus perſuadeam, hoc medicamentum non ſolum non nocere ſtomacho, verum etiam reſicere et confirmare eum ſupra omnem opinionem.* Baſis huius medicamenti eſt colocynthis, ea quantitate adiecta, vt in vncia dimidia habeamus ſex grana aut paullo minus. Sed Scribonius aliquando pondus colocynthidos triplicat, ſcilicet vbi morbos grauiſſimos curat. Vtrumque ſe imitari, et familiariter quidem, ſcribit Maſſarias, vocatque alteram hieram diacolocynthidos paruam, cuius doſin a duabus ad quinque drachmas determinat; alteram magnam ab vna drachma ad tres propinat.

Noſtro ſæculo euanuit, ni fallor, vſus internus: ſed hanc hieram diacolocynthidos pro clyſteribus expetere præ reliquis omnibus oportet, cuius quatuor vel ſex drachmæ ſpem non deſtituent; ſed nec vncia integra grauiori caſu extimeſcenda fuerit.

ELE-

ELECTVARIVM INDVM MAIVS.

Vsus fere omnino exspirauit. Est purgans, a turpetho et dacrydio præcipuas vires desumens. Dosin Massarias indicat esse a drachmis quatuor ad octo.

ELECTVARIVM LENITIVVM FLORENZOLÆ.

Est blandum remedium, quod intestina, absque incommodo subductis fæcibus, euacuat. Sed raro hodie expetitur. Præscribendum est ab vncia vna ad duas.

ELECTVARIVM LENITIVVM de MANNA.

Parum concinnum est medicamentum, omniumque minime titulum explet, quum in pluribus quam quinque libris vnica mannæ vncia ponatur. Semina frigida maiora inepte decoquuntur; et quæ per se deinceps seorsim, cum frigidis minoribus accedunt, celeriori corruptioni ansam præbent. Sed forte vbique iam exsulat ex officinis. Vncia, et amplius, dari debet.

ELECTVARIVM DE OVO.

MAXIMILIANO I. Imperatori glorioſissimæ memoriæ tribuitur. Magna in existimatione olim fuit et passim hodie adhuc est electuarium, alexipharmaca et febrifuga virtute commendatum. In

peſte præcipue expetitur, quia ad peripheriam potenter pellendo miaſma peſtilentiale excludit. Et ſane nuperæ experientiæ medicorum laudes remedii huius confirmarunt et amplificauerunt. Præterea etiam ſingulariter commendatur ad maniam a philtro contractam, vt et iis, qui a cane rabido morſi ſunt, idque præcipue ob adiectam nucem vomicam, quam adeo non reformidandam in hoc electuario exiſtimamus, vt potius magnam partem bonarum, quas poſſidet, virium inde pendere credamus. In doſi præſcribenda admodum varia præcipiunt diuerſi auctores. Sunt qui a ſcrupulo vno ad drachmam vnam præbent: alii ad duas drachmas adſcendunt: ſed JO. BAPT. GEMMA, *de curandis carbunculis et bubonibus peſtilentialibus*, iraſcitur medicis, qui tantum drachmam vnicam exhibent, ipſeque vnciam integram adulto porrigit. Non adeo multum diuerſum eſt *electuarium camphoratum*, quod ſupra occurrit.

ELECTVARIVM ORVIETANVM.

Nomen ſuum habet ab vrbe Italiæ Oruietum dicta, vbi primo inuentum et celebratum fuit auctore Hieronymo Ferrante, teſte FRANC. PAVLINO *de theriaca caleſti*. Diuerſiſſimæ ſunt, quæ circumferuntur, deſcriptiones, ipſaque hæc, quæ ex HELMONTIO allata eſt, tam ratione ingredientium, quam ponderum, differt ab ea, quam in *Helmontii operibus germanice editis pag.* 659. legere licet. Plurimum aduerſus venena valere creditur, ipſeque auctor quoduis ſibi oblatum venenum publice in foro ebibiſſe intrepide fertur, fiducia huius

ſuæ

ſuæ antidoti: de quo quid exiſtimandum ſit, iam ſatis conſtat. Helmontius in febribus contagioſis et malignis parum profuiſſe teſtatur; ipſique præfert antidotum Saxonicam, de qua ſupra egimus. Dari poteſt drachma vna et altera ex aceto.

ELECTVARIVM CONTRA PESTEM.

Componitur ex multis iam diffuſis compoſitionibus, vt iures concentratas hic vires alexipharmacas inueniri debere. Eſt medicina opiata, eodem cenſu habenda, quo theriaca et mithridatium, quæ magnam eius partem conſtituunt. Præſeruandi ſcopo drachma vna cum aceto vel citri ſucco ſumi poterit.

ELECTVARIVM CONTRA PHTHISIN.

Si verum dicere licet, inconcinna eſt compoſitio et indicationibus veræ phthiſeos ſanandæ minime adæquata. Dari poteſt drachma vna et vltra.

ELECTVARIVM DE PSYLLIO MONTAGNANÆ.

Eſt blandum laxans, flauæ bili educendæ et temperandæ accommodatum: ſed vſu iam pridem excidit. Doſis eſt vncia dimidia ad integram.

ELECTVARIVM ROSATVM MESVES.

Eſt blandum cholagogum, in febribus bilioſis præcipue olim expetitum et adhibitum. Datur a ſemuncia ad ſex drachmas.

ELE-

ELECTVARIVM de SVCCO ROSARVM.

Viribus, vſu et doſi conuenit cum præcedente.

ELECTVARIVM STOMACHICVM.

Ex ſpeciebus ſatis bonis conficitur, videturque ad appetitum excitandum digeſtionemque iuuandam vtiliter dari poſſe vnciam dimidiam et paullo amplius.

*ELECTVARIVM TAMARINDINATVM.

Deſcribitur in *Diſpenſ. Norico* p. 19. Eſtque blandiſſimum omnino laxans, quod etiam grauidis, ad vnciam dimidiam vel quinque drachmas, exhiberi tuto poteſt. Celeberrimi medici HORSTIVS et THONERVS illo frequenter vſi ſunt, etſi præparationis modum aliquanto diuerſum fuere ſequuti. Vide THONERI *obſeruat. append. pag.* 360. et 366.

ELIXIR ANTIFEBRILE MYNSICHTI.

In deſcriptione reprehendendum exiſtimo, quod ſalia plantarum et tartarus vitriolatus non fuerunt omiſſa, quum ſpiritus vini nihil inde extrahere valeat. Ceterum eſt eſſentia ſtomachica, de qua tamen auctor promittit: *Præſeruat, curat et abigit, poſt euacuatum corpus, omnes febres. Doſis inſtante paroxyſmo vel paullo ante, vt ſimul cum paroxyſmo operetur, a drach-*

drachma I. ad II. et vnciam semissem in aqua centaurii minoris, vel hausta cereuisiæ calidæ: Robustioribus vsque ad sex drachmas infundit. Præterea vinis et cereuisiis, quotidiano potui inseruientibus, immisceri potest, magno cacochymicorum et hydropicorum emolumento. Vide *Armament. med. chym. sect. XVII. fine.* Sed hodie fere obsoletum est, magisque celebratur

*ELIXIR ANTIFEBRILE WEDELII

quod in *Pharmacop. Argentorat. pag.* 64. describitur. Datur bis vel ter de die, ad guttas XXX. XL. et vltra. Commode etiam vsurpatur post profligatas febres ad recidiuam præcauendam.

ELIXIR ANTISCORBVTICVM AMARVM.

Ex speciebus antiscorbuticis optimis paratur, quarum tamen aliquæ herbæ commodius et cum maiori fructu recentes dantur, quam menstruo spirituoso extrahendæ committuntur, vt beccabunga, borrago, buglossum. Dari potest a guttis XXX. ad LX.

ELIXIR APERITIVVM.

Scopo aluum aperiendi aliquoties offerri potest ad drachmam dimidiam, donec aluus, potu sufficienti et commodo iuuanda, satis fluat.

ELIXIR BALSAMICVM.

Celeberrimus quondam Archiater Regius D. D. KRVG de NIDDA Laudanum liquidum Syden-

denhami, cui aliquantillum balſami Peruuiani adiiciebat, ſub hoc titulo abſcondebat. Videbimus medicamentum infra ſuo loco, ſub genuino nomine.

ELIXIR CITRI.

Satis calida et oleo æthereo imbuta eſt medicina, quam tamen multos videas ad integras vncias, roborandi ventriculi cauſſa, ingurgitare; qui videant vt diu impune hoc poſſint facere. Si bene dilutum fuerit ad drachmas duas tolerabile eſt, et ſufficiens ad ventriculum flaccidum, et multa aqua vel tenui ac vappido potu diſtentum et labefactum, priſtino robori reſtituendum. Parum differt ab *aqua citri cum ſpiritu vini*, quam ſupra vidimus.

ELIXIR PECTORALE.

Illis qui tuſſi humida et defluxionibus catarrhalibus, nec non raucedine hinc contracta, laborant, ſatis commoda eſt medicina, ſi guttæ XXX. vel XL. ſumantur. Solent aliqui ſpecies, antequam extractioni permittantur, tinctura antimonii acri prius humectare, et poſt aliquot dies demum ſpiritum reliquum affundere: ſic enim reſinoſa, quæ ingrediuntur, extractioni melius parent.

ELIXIR PESTILENTIALE CROLLII.

Reuera nil aliud eſt quam balſamus ſulphuris iuniperino-ſuccinatus, eſſentia theriacali mixtus. Non poteſt vituperari, ſi verum oleum e baccis iuniperi aſſumtum fuerit, quod niſi ipſe tibi præpares, caue putes,

tes te facile vllibi esse inuenturum. Vide *observ. physico-chym.* FR. HOFFMANNI *pag.* 12. Phlegmatico homini in constitutione catarrhali rectissime potest dari: sed calidioribus subiectis nollem præbere, præsertim morbo acuto iam decumbentibus. Dosis ab auctore præscribitur ad præseruandum gutta vna vel duæ in vino vel aceto quotidie sumendæ: vel singulis hebdomadibus septem ad decem guttas accipere et sudori indulgere suadet. Illi autem, qui pestilenti morbo iam correptus est, illico scrupulum vnum vel duos ex vino vel aceto rutaceo haurire iubet, sudoremque exspectare.

*ELIXIR POLYCHRESTVM HALENSE.

Licebit mihi, spero, bona cum venia eorum, quorum interest, huius medicamenti nunc meminisse, postquam in officina orphanotrophei dispensari iam diu intermissum est: et iam olim in scriptis Illustris STAHLII notitia eius legitur. Paratum initio fuit ex extracto panchymagogo per mixturam simplicem soluto. Sed circa annum clɔlɔccIv. extractum, aut rectius dicendo, massam catharticam spiritu vini resoluebant, ea proportione, vt ad quatuor scrupulos vnciam vnam spiritus vini sumerent, et spiritus vitrioli drachmam dimidiam. Massam illam catharticam sequentem ad modum parabant. Recipe Pulpæ colocynth. vncias sex, Agarici, Scammonii ana vncias quatuor, fibr. ellebori nigri, specier. diarrh. Abb. Aloes succotrinæ à ℔ß. Incisa contusa infunde spiritu vini q. s. post digestionem sufficientem et fortem expressionem, fiat cum trochiscorum Alhandal vn-

ciis

ciis tribus, diagrydii præparati, agarici trochiſcati ana vnciis quatuor et aloes hepaticæ vnciis octo, maſſa. Elixir illud copioſum ſedimentum ad fundum dimittebat, vnde neceſſe erat vitrum ante vſum probe agitare. Vbi quis extra febrem, laxationis vel purgationis cauſſa ſumebat, ſexaginta guttæ per interualla breuia porrigebantur, donec purgatio incipiebat, iniuncto copioſo potu cereuiſiæ tenuis calidæ. Quo pacto in febribus petechizantibus adhibitum feliciter fuerit, multis expoſitum legatur apud D. D. GOETZIVM in *obſeruat. medico-practicis Stablianis Claſſe I. obſ.* 14. inde *a pag.* 58. *ad* 60. Addatur ibi citatus b. D. D. C. F. RICHTERVS, locis indicatis. Quibus lectis reſpiciamus ad ea, quæ SCRIBONIVS LARGVS, ad experientiam tam diſerte prouocans, de hiera Pacchii ſ. diacolocynthidos aſſerebat, quod medicamentum illud non ſolum non noceat ſtomacho, verum etiam reficiat et confirmet eum ſupra omnem opinionem. Certe hoc elixir, quo ſubinde familiariter vtor, a colocynthide plurimum accipit, neque parum ſcammonii, agarici et aloes habet, vbi tamen tempeſtiue et legitime adhibetur, exoptatiſſimos edit effectus, facitque vt generali iſti accuſationi fortiorum purgantium multum apud me decedat.

ELIXIR PRAESERVATIVVM
CONTRA PESTEM.

Conſtat ex laxantibus et alexipharmacis, neque contemnendum eſt tempore catarrhali in ſubiectis frigidis. De reliquo etiam vulgo adhibetur ad adpetitum excitandum et ventriculum roborandum: plerumque cochlear mediocre plenum infundunt. Mul-

tas

tas videas familias, præsertim in Germania inferiore, vbi mulieres hoc, vel simile aliquod, sibi domi parant et in vsu quotidiano habent. Vidi illud inscribi: Cassselisches Gifft = Elixir, vel simpliciter, Casselisches Elixir: forte quod ex officina aulica Cassellana, omnium prima, quæ medicamentis chemicis instructa fuit, emanauit. Nimis frequenti vsu hæmorrhoides concitat; vt et intempestiue mulieribus datum in menstruorum negotio turbas excitare valet.

ELIXIR PROPRIETATIS HELMONTII ALBVM.

Ab auctore Helmontio tamquam maiori ingenio excogitatum et subtilius quoddam inuentum præfertur antiquo illi Paracelsico. Sed magnopere vereor, vt aqua cinnamomi ex aloe, myrrha et croco intimas vires destillando possit extrahere. POLISIVS *in myrrhologia p.* 66. de vsu hæc habet: *liquore hoc tum quartana tum continua fugatur. Qui noctu sumserat sacrosanctum viaticum, Helmontium in prandio conuiuam circa lectum habuit.* Celeberrimus D.D. BOERHAAVE in chemia sub eius nomine edita, *Processu LXXXII.* elixir Helmontii aliter parare docet: processu autem præcedenti docet optimum modum sine magnis impensis et sine magno labore parandi elixir omnium optimum, quo quartanas et tertianas perfecte curari promittit; quod sane experientiæ suffragio confirmatum optamus.

ELIXIR PROPRIETATIS ANTISCORBVTICVM.

Quidquid antiscorbutici ab hoc exspectare volumus, a spiritu cochleariæ et salis dulci proficisci

oportet. De reliquo æquipollebit aliis huius tituli; niſi quod ob carminatiuam vim ſpiritus ſalis dulcis ventriculo magis gratum erit. Doſis ad guttas triginta vel quadraginta aſcendit.

ELIXIR PROPRIETATIS cum RHABARBARO.

Non eſt inepta compoſitio, ſed reliquis forte præferenda, quod proportionem ingredientium melius obſeruat. Ventriculum et inteſtina expurgare et roborare: hepatis et hypochondriorum obſtructiones expedire, appetitum excitare, mulierum purgationes menſtruas in ordinem redigere poteſt, ſi cautiones neceſſariæ in adhibendo obſeruentur.

ELIXIR PROPRIETATIS PARACELSI.

Hoc elixir ab auctore Paracelſo vocatum eſt *proprietatis*, tamquam dicere voluiſſet *propriæ inuentionis et ordinationis*: multumque boni de eo paſſim in ſcriptis ſuis, et ex his diſcipuli eius, promittunt, ad vitam ſanam et longæuam, ad pleroſque morbos, ipſamque peſtilentiam vincendam. Legantur elogia longo ordine expoſita apud CROLLIVM in *baſilicæ chymicæ p.* 171. Is doſin determinat a guttis ſex ad duodecim. Enimuero a variis iam deſideratum fuit, quod ſpiritus ſulphuris, ſpeciebus initio adfundendus, eas momento quaſi comburat, vt vix vigeſima pars ſoluatur: reliquum autem inſtar carbonis in fundo maneat. Huic incommodo obuiam iturus D. D. BOERHAAVE menſtrui loco adhibet acetum deſtillatum fortiſſimum, ſicque impetratam, poſt diuturnam

nam digestionem, tincturam a drachmis duabus ad vnciam mediam in pestilentia, febribus, scorbuto optimam prædicat. Forte consultius destillati aceti loco simplex bonum vini acetum adhiberetur.

ELIXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO.

Hoc elixir menstruo alcalino extrahitur, adeoque naturam præcedenti contrariam nanciscitur, neque in febribus commode adhibetur, minimeque omnium in pestilentia locum inuenit, vt nec in aliis morbis, vbi humores iam satis vel nimium resoluti sunt. Contra vero, vbicunque aperiendum, laxandum, stimulandum fuerit, probe se geret, a guttis viginti ad quadraginta exhibitum. Sunt qui omnino nullum spiritum extrahendo adhibent, sed omnia absoluunt menstruo aqueo large alcalisato. Ita virtus purgans magis conspicua est. Atque huius indolis est ELIXIR APERITIVVM CLAVDERI, cuius descriptionem videas in *Pharmacop. Argentoratensi pag.* 65.

ELIXIR PVRGANS.

Est satis elegans compositio, potestque ad drachmam dimidiam, breuibus interuallis repetendo dosin et large superbibendo, donec satis operetur, exhiberi.

ELIXIR VITAE MATTHIOLI.

Ipse auctor præparationem et laudes eius describit *Comment. in Dioscorid. Lib. V. pag.* 907. Vires mirabiles ipsi tribuit, fere etiam vniuersales. Dosis

ipſius ex præſcripto auctoris parati drachmam vnam non debet excedere. Sed quando ſaccharo edulcoratum, ſicque nimia et ſumma ſpirituoſitas infracta eſt, largius etiam, vt de facto impune fieri videre quotidie licet, hauriri poteſt.

ELIXIR VITRIOLI MYNSICHTI.

Vires adeo deprædicat auctor *Armament. Sect. XVII.* vt neget *nobilius et efficacius ſtomachicum in tota republ. medica inuentum eſſe.* Et ſane experientia confirmat bonum eſſe carminatiuum, et appetitum languentem hac medicina belle excitari. In primis commendatur illis, quibus ſoda moleſta eſt, ob ſaburram bilioſam in ventriculo morantem. Quod præcipit de vſu antepileptico, non omnino nihil eſſe exiſtimo, quum mihi notus ſit medicus, qui phlegmate vitrioli operæ pretium in hoc morbo ſemel iterumque fecit. Doſin præſcribit auctor ſcrupulum dimidium ad integrum in aqua quadam deſtillata, ad affectum appropriata.

ELIXIR VTERINVM CROLLII.

Auctor de vſu et doſi *Baſil. chym. pag.* 224. ſic ſcribit: *Doſis eſt ſcrupulus vnus vel duo, ingruente paroxyſmo hyſterico, tunc illico ſanantur. Quod ſi ſingulis menſibus, appetentibus menſtruis, æquali doſi vtantur, non reuertetur morbus.*

EM-

EMPLASTRVM ALBVM COCTVM.

Est simplicissimum emplastrum saturninum, et potentis alias adstrictoriæ facultatis, quæ ab hoc genere remediorum proficiscitur, et sæpe ab externis partibus ad internas periculose propagatur, (vide supra *acetum lithargyrii*) minime particeps: quæ semper maior et præsentior est, vbi acetum in præparatione additur. Adhiberi maxime solet, vbi pars aliqua ab attritu duriorum corporum, vel allisione mutua excoriatur: quod intertrigines vocare solemus. Agit potissimum poros a cuticula nudatos blande constringendo et liberum aeris accessum auertendo, a cuius humida et ad corruptionem inducendam apta constitutione subinde mala emergunt ex minimi momenti excoriationibus. Potest camphora adiecta ita præparari vt defensiui emplastri vices sustineat: præsertim vbi in ambitu ruborem et dolorem animaduertimus. Vocatur etiam *emplastrum de cerussa*. Parum differt *emplastrum D. D. VLMENSIVM* in *pharmacopœa Augustana Classe XVI.* laudatum.

EMPLASTRVM de AMMONIACO FORESTI.

Apud D. D. AVGVSTANOS in classem ceratorum refertur. Discutientium vires a mucilaginosis et pinguibus nimis submersæ sunt; eæ tamen iuuantur admixta camphora: alias magis ad emollitionem et suppurationem conducit. Si iungatur cum emplastro de cicuta, dolores congestorios demulcet et lenit. Junctum empl. saponato Barbette laudabile scutum

ſtomachicum conſtituit in affectibus ſpaſmodicis partium hypochondriacarum, ventriculi, duodeni, hepatis, ductuum biliariorum, ſicque in vomitoriis, cholerodeis et ictericis affectibus ſæpe vltra ſpem et opinionem efficit, præſertim ſi oleo cumini vel alio carminatiuo prius malaxatum et camphoratum ſit.

EMPLASTRVM ANTI-FEBRILE.

Deſcribitur hic ipſiſſimum STROBELBERGERI emplaſtrum, quod in intermittentibus, vbi perſonæ ſunt ſenſibiliores, et paroxyſmi iam notabiliter decreuerunt, non inutiliter carpis manuum aut flexuræ cubiti applicari, experimentis credimus. Solent nonnunquam talia exulcerationem quandam in loco, cui applicantur, facere, quæ ſalutaris eſt et æquipollet labiorum efflorescentiis, quæ ſubinde febri laborantium bonis rebus accidunt. Vidi ſenem practicum, qui feminæ grauidæ tertiana laboranti, et termino partus propinquæ, poſt varia in caſſum adhibita, ſequenti proderat, quod recipit theriacæ veteris drachmas duas, terebinthinæ dr. vnam, florum ſulphuris, aluminis crudi, piperis, ſingulorum ſcrupulum vnum, olei rutæ deſtillati guttas decem, camphoræ grana decem: ex quibus mixtis fiebant emplaſtra duo in forma thaleri, ad carpum vtriuſque manus applicanda.

EMPLASTRVM contra FEBRES QVARTANAS.

Titulus addit, quod aduerſus malignas, et alias, valiturum ſit. Fortius etiam quam præcedens rubefacere, attrahere et exulcerare poteſt. Præmiſ-

sis iis quæ præmitti, et consequutis quæ consequi debent, locum inuenire potest. Soli autem fidere nemini consuluerim.

EMPLASTRVM ANTIPODAGRICVM ZWELFERI.

Ipsemet Auctor illud NERVINVM ANTIPODAGRICVM vocat, et describit in *pharmacop. reg. Class. XVIII. p. m.* 766. deque eo promittit, quod sit excellens neruinum atque arthriticum, arctus roboret, extrahat et alliciat humores acres, acidum fermentum dissipet, adeoque in podagricis affectibus sit efficax. Ex fermenti acidi hypothesi sine dubio additur sal tartari. Præcipua virtus a sapone eiusque oleo exspectanda est. Superato paroxysmo, ad tumores residuos discutiendos, vtile est, vt et ad roborandas partes arthritico tormento labefactatas et debilitatas.

EMPLASTRVM ANTITOPHICVM.

Tophis podagricorum dissipandis destinatum est: sed vereor vt saponis sufficiens quantitas insit. Superato paroxysmo adhibendum est.

EMLASTRVM APOSTOLICVM.

NICOLAVS MYREPSVS *sect. X. cap.* 1. hoc emplastrum describens causam nominis aperte prodit, quod nimirum creditum sit a sanctis Apostolis PETRO et PAVLO confectum: deinde, quod numerus ingredientium Apostolorum numero, olim for-

te, reſponderit. Auctius hoc emplaſtrum dedit NICOLAVS SALERNITANVS, quem officinæ ſequuntur. Promittitur de eo, quod aliena e vulneribus extrahat, iiſque recentibus, æque ac vlceribus, apprime conueniat. Quin imo morſibus et ictibus, omnibusque venenatis vulneribus, conducat, carcinomata percuret, ſtrumas rumpat, abceſſus aperiat, fiſtulis immiſſum eas mundificet. Noui medicum, qui hoc emplaſtro, magnetis præparati puluere et camphora mixto, ſcirrhum quendam mammarum pro cancro habitum feliciter curauit. Idem etiam hydropicorum abdomini imponebat, non ſine emolumento.

EMPLASTRVM ARTHRITICVM MYNSICHTI.

Auctor de viribus hæc habet: *Anodynum eſt: propterea, præmiſſis prius vniuerſalibus, arthriticis, podagricis, nec non aliis cruciatibus, quouis tempore vtiliſſimum: quia omnes fere dolorum iniurias mire ſedat atque placat.*

EMPLASTRVM de BACCIS LAVRI.

Maxima ſui parte debetur MESVAE, qui in eo tantum a nobis abiit, vt ceram, terebinthinam et oleum, in deſcriptionibus noſtris requiſita, eo conſilio omittat, quo poſſit etiam per clyſteres iniici. Commendatur ad omnem dolorem ventriculi, inteſtinorum, veſicæ et matricis a cauſa frigida ortum. Hydropicorum, præſertim tympaniticorum, abdominibus imponere iubet addito puluere radicis cyperi et bona quan-

quantitate ſtercoris capræ aut vaccæ ſicci et in puluerem redacti. Commode etiam additur puluis cumini, aut oleo eius malaxatur.

EMPLASTRVM DE BETONICA.

Quicquid de hoc dicendum habui, iam ſupra expoſui, quum de *Cerato pro bregmate* ſermo eſſet: quippe quod parum aut nihil ab hoc differt.

EMPLASTRVM CAMPHORATVM.

Eſt, vt ſimpliciſſimum, ita experientia longa commendatiſſimum: poteſtque multorum aliorum loco eſſe.

EMPLASTRVM CARMINATIVVM SYLVII.

Auctor ipſum deſcripſit, vſumque eius, adducto notabili caſu, comprobauit *Prax. med. lib. I. cap.* 14. Scilicet ad flatus indeque ortos hypochondriorum tumores duros inæquales eximie laudat. Scribit autem, ſe cum emplaſtro hoc iunxiſſe linimentum ex vnguenti altheæ compoſiti et olei capparum ana vncia vna, olei philoſophorum drachmis duabus inter ſe mixtis.

EMPLASTRVM CATARRHALE.

Parum differt ab *emplaſtro pro temporibus*, quod infra occurrit. Ambo vſu conueniunt. Potiſſimum

adhibentur, quando caput aut dentes diuturno dolore vexantur. Vidi virum, cui, post multa in cassum tentata, eiusmodi emplastrum temporibus applicatum copiosam humiditatem, guttatim sub emplastro effluentem, elicuit, tamque acrem, vt cuticulam, qua defluxerat, attolleret et eroderet: quod quum biduo factum esset, omnino liber erat a diuturno rheumatismo, qui in regione temporali fixus hæserat, et non raro ad dentes excurrerat, quibus intolerabiles cruciatus attulerat.

EMPLASTRVM de CICVTA.

Præcipue dicatum est resoluendis tumoribus duris et vel in scirrhum mox abituris vel iam scirrhosis; præsertim lienis inflationi. Memini me viro hypochondriaco, cui lien aliquando insigniter inflabatur, maximasque angustias et capitis perturbationes afferebat, hoc emplastro, remixto cum illo de ammoniaco, multum solatii procurasse, vt iam inde a quinque annis, quoties illa inflatio recurrere incipit, nullo alio quam hoc remedio vsus breui tempore conualescat. Multum conuenit cum empl. splenetico, quod infra videbimus.

EMPLASTRVM CITRINVM.

Est simplicissimum emplastrum, neque tamen contemnendum in vulneribus recentibus, vbi nulla alia re opus est quam vt labia iuncta sint, et aeris liber accessus prohibeatur. Vulgus nostrum vocat **den gelben Zug.** Quando autem pro vlcere remedium quærunt, expetunt **den grünen Zug**, quod paratur, quando ad singulas libras huius emplastri, ex præscripto

D. D. AVGVSTANORVM duæ drachmæ ærugi-nis mundatæ adiiciuntur.

EMPLASTRVM de CRVSTA PANIS.

Solent mulierculæ, non ſine emolumento, operculum ſtomachale ex panis horizontaliter diſſecti ſuperiore parte excauata, toſta et aceto vel aromaticis quibuſdam adſperſa et imbuta parare in colica, torminibus, abortus periculo. Huius imitamentum eſt hoc emplaſtrum, quod omnino, ſi recens fuerit, vtiliter adhibetur in vomitu, diarrhoeis et torminibus tam infantum, quam adultorum: præcipue tamen infantum, quibus extemporanea illa panis applicatio non tam commode fieri poteſt. Si recens paratum emplaſtrum haberi nequeat, iuuabit illud paucis olei menthæ, chamomillæ aut cumini guttulis malaxare.

EMPLASTRVM DEFENSIVVM.

Defenſiua remedia a chirurgis vocantur, quæ afluxum humorum copioſiorem a parte læſa, vel arcendo, vel repellendo, illam a grauioribus ſymptomatibus defendunt. Eius generis plura ſunt emplaſtra, quæ ex adſtringentibus, refrigerantibuſque conſtant, ſub qua claſſe præcipue militant, quæ lithargyrium, minium, ceruſſam, lapidem calaminarem, et id genus plura metallica, habent. Noſtrum hoc ceruſſæ et lithargyrio plurimum debet, acetis adiectis ex parte reſolutis; aliquid vero etiam ſucco plantaginis. Multum conuenit cum emplaſtro *de ſpermate ranarum*, poteſtque alterum alterius ſuccedaneum eſſe.

Vſus

Vſus hic eſt, vt circum oras vlcerum collocetur, quo affluxus humorum cohibeatur.

EMPLASTRVM de CVMINO.

Vide ſupra ceratum de cumino.

EMPLASTRVM de FVLIGINE.

Hoc noſtrum antipodagricum perhibetur, et potiſſimum nititur ſaccharo ſaturni, quod eſt valde adſtringens et repellens, quare cautiſſime cum eo mercandum fuerit, ne, quod funeſtum eſſe ſolet, podagra omnino retropellatur. In pharmacopœia Auguſtana legitur aliud emplaſtrum de fuligine, a noſtro toto cœlo diuerſum, quod magnis encomiis ad carbunculos peſtilentiales maturandos commendatur.

*EMPLASTRVM DIABOTANON BLONDELLI.

Huius apud Gallos chirurgos tantopere celebrati emplaſtri deſcriptio, antea vix alibi niſi in NIC. LEMERY *Pharmacop. vniuerſali p.* 734. obuia, nunc quoque legitur in *pharmacop. Argentorat.* Ob præſtantes virtutes vſque adeo *diuinum* a quibuſdam ſalutatur. Seorſim laudatur ad diſcutiendos tumores tunicatos, vt et ad ſarcocelen, vbi PETRVS DIONIS cum illo *de ranis Vigonis* hoc coniunxiſſe ſe teſtatur, operæque pretium feciſſe. Ad idem quoque malum, vt et ad indurationem teſticuli poſt gonorrhœam malignam, ambo hæc emplaſtra coniuncta commendat haud vanus vir JO. PALFYN *oper. chirurgic. cap. XV. p.* 223.

EM-

EMPLASTRVM DIACHYLON SIMPLEX.

Est antiquum satis emplastrum, quod a Græcis, vt nomen prodit, per Arabes ad nos venit. Ex mucilaginibus, cum oleo et lithargyrio ad consistentiam coctis, vim acquirit poros occludendi, sicque cohibendo in parte ab eo contecta transpirationem, accelerat et iuuat maturationem tumorum durorum ad suppurationem iam spectantium, absque augmento caliditatis extrinsecus illato. Hoc itaque non contemnendum beneficium præstat mucilaginosa visciditate sua: ex quo consequitur vetustate exsiccatum et friabile redditum huic vsui non inseruire posse. Opus igitur est hoc emplastrum statim, quamprimum paratum est, vitris commodis, non capsulis ligneis, includere et a liberi aeris accessu custodire.

In recenti etiam vulnere, vbi nullus est tumor aut duities ad inflammationem spectans, glutinando, labia coniungendo et aeris accessum arcendo, locum inuenit. Inseruit etiam pessariis formandis in vteri et vaginæ phlegmonis, vbi pro rei exigentia addi discutientia possunt.

EMPL. DIACHYLON COMPOSITVM seu CVM GVMMI.

Basin eius constituit simplex, cui gummi quædam discutiendi vires habentia adiunguntur: vnde præter maturandi atque emolliendi virtutem etiam digerendi et discutiendi facultate gaudet, et conuenit præcipue, vbi in abscessu quodam aliqua pars iam maturata est et purulentam materiam emisit, ad reliquam duri-

duritiem partim emolliendam, partim resoluendam. Sed et hic obseruari debet, ne vetustate et nimia siccitate intentionem eludat.

EMPL. DIAPALMÆ.

Alias etiam *Diachalcitεos* vocatur, quia GALENVS auctor chalcitin in eo requirit, qua nos destituti succenturiamus plerumque vitriolum album. Et quum palmæ tenuioribus ramis etiam in nostra patria careamus, illorum loco quercuum teneras frondes adhibemus, vt adeo vterque titulus sine re signata retineatur. Est tenacissimum emplastrum, adeoque multis vsibus conuenit, præcipue labiis vulnerum in partibus mollibus adducendis, et coniungendis, vbi futura actuali non opus esse cognoscimus: Vbi cauteria potentialia adhibentur, ambitum hoc aptissime tegimus et munimus. Etiam fonticulis in ambitu rubentibus et ab effluenti ichore acri afflictis imponimus. Ad pernio-nes commendat FORESTVS: quin fracturis post repositionem aptam detinendis vtiliter adhibitum fuit a b. MAVR. HOFFMANNO, vt in M. N. C. *Dec. II. A. VI. p.* 340. commemoratum legimus. WEPFERVS *obs.* 135. teneræ cuidam ventriculi imbecillitate laboranti, imponit hoc emplastrum, cuius vni vnciæ duas mithridatii drachmas permiscere iubet.

Quin pictores, vt et hoc addamus, illud expetunt ad lintea, in quibus pingere volunt, cito apparanda, quibus vetustissimum quodque aptissimum videtur.

EMPL. DIAPHOENICON FRIGIDVM.

Hoc etiam emplastrum in nostra patria ad præscriptum parari non potest, quia caremus dactylis matu-

maturitati proximis, adeoque aliquid ſubadſtringentis habentibus, cogimurque maturos et ſiccatos, quales ad nos mittuntur, ſubſtituere, quos tamen veteres illi diaphœnicon, quod calidum vocabant, imponere ſolebant. Enimuero hoc tanti non videtur, vt propterea valde conqueramur. Multum conuenit cum emplaſtro de cruſta panis. Ventriculum roborat, vomitum, choleram morbum, lienteriam, dyſenteriam hepaticam, vt MESVE auctor eſt, iuuat.

EMPL. DIAPHORETICVM MYNSICHTI.

Pituitam ac ſeroſam humiditatem diſcutit et extrahit, vt ſæpe guttulæ emplaſtro adhærentes aut parti affectæ ſuperſtantes obſeruentur. *Hinc prodeſt ſpecifice*, inquit MYNSICHTVS auctor *Armament. p. 510. in iſchiadico dolore, intumeſcentia pedum, parotidibus et tumoribus Gallicis pituitoſis, vbi ſuppurationi incumbere nolumus.* Familiariſſime adhibetur ad diſcutiendos tumores œdematoſos, qui fractis et luxatis ſuperuenerunt.

EMPLASTRVM DIAPOMPHOLYGOS.

Eſt refrigerans, anodynum et exſiccans ac cicatricem inducens.

EMPL. DIASVLPHVRIS RVLANDI.

Valde laudatur in vlceribus mundificandis et conſolidandis; vbi aliquid omnino tribuendum eſt virtuti

tuti ſulphuris repellenti et exſiccanti. Vnde ſollicite perpendendum eſt, an omnino pro reliqua ſanitate futura ſit talis conſolidatio. Celebratur etiam virtus reſolutoria, quam præſertim in ſtrumis diſſipandis exſerit. In vulneribus recentibus cito conſolidandis certam ferre et celerem opem ſolet.

EMPL. EPILEPTICVM.

Solet vertiginoſis et epilepticis, deraſo prius capillo, ſupra ſuturam coronalem et verticem poni. Extenſo ſuper alutam adſpergi debet puluis cubebarum. Vide *obſervat.* WEPFERI *pag.* 229. At vero magis conducere cucuphas ſiccas ex cephalicis ſpeciebus, quam emplaſtrum, idem auctor *pag.* 232. iudicat.

EMPL. de GALBANO CROCATVM.

Est MYNSICHTI, qui in *Armamentario pag.* 511. *expertiſſimum* vocat *ad emolliendos tumores duros et ſcirrhoſos, nec non ad ſedandos et mitigandos vehementes et lethales partium dolores, pectoris, ſcapularum, mammarum, hypochondriorum, laterum, ventriculi, hepatis, lienis, renum ac vteri, ſiue a crudis humoribus, vel a flatu craſſo, aut alia intemperie frigida excitatos. Inſuper omnes ſtrumas tam recentes quam inueteratas, emollit, lenit, concoquit, digerit, incidit atque diſſoluit. Praterea in conuulſione et ſingultu felicissime vtimur.* Multum conuenit cum empl. de ammoniaco Foreſti, poteſtque vnum pro altero ſubſtitui.

EMPL.

EMPL. AD GANGLIA.

Vſum titulus docet. Non inepta eſt compoſitio.

EMPL. GRISEVM.

Vocatur etiam *de lapide calaminari.* Conſtat ex plurimis ſiccantibus et repellentibus: quare ad arcendum affluxum, et cicatricem vlceri inducendam probe ſe gerit.

EMPL. AD HERNIAS.

Egregia laude paſſim celebratur, quod ad omnis generis hernias, probe prius repoſitas, multum valeat. Sed plus ſolidæ opis affert infantibus quam adultis, debetque curandus ſatis longo tempore decumbere, et ſe bracherio commodo munire. Confer PETRI DIONIS *Operat. chirurg. p.* 363. *edit. Germ.* In hydrocele fruſtra adhibetur.

Eſt etiam in vſu *emplaſtrum ad rupturas ſ. hernias* ZWELFERI, quod *pharmacop. Reg. Claſſ. XVIII. pag. m.* 769. docet, et in *pharmacop. Argentorat.* albo calculo notatur.

EMPLASTRVM ad HYDROPEM.

Crebro in vſu quondam fuit celebri medico Italo JOAN. BAPT. MONTANO eiuſque diſcipulis, ad diſcutiendos tumores œdematoſos, et ſtagnantem humiditatem per poros cutis, vti ſperabant, eliciendam. Vnicus metus eſt, ne in ſenſibilioribus tumorem ad interna repellat, ob admixtum ſulphur,

quod in hoc genere ſæpe nimis quam efficax deprehenditur.

EMPL. DE HYOSCYAMO.

Eſt D. D. DANIELIS LVDOVICI, qui effectum eius cuiuis ſplenetico vel parem vel ſuperiorem fore ſpondet, præcipue ſi aliis malacticis aut reſoluentibus, pro re nata, ſocietur et exaltetur. Et ſane ad vehementiſſimos dolores rheumaticos obtundendos ſæpe ſupra ſpem efficax experiendo cognoſcitur. In tumoribus tonſillarum aliiſque glanduloſarum partium inflammationibus, mixtum cum empl. de meliloto efficax eſt, modo internis rite ſuccurratur.

EMPL. IMPERIALE.

Vlceribus conſolidandis dicatum eſt. Conuenit cum emplaſtro diaſulphuris Rulandi.

EMPL. MAGNETICVM.

Eſt ANGELI SALAE, et nomen habet a magnete arſenicali, de quo ſúo loco dicemus. Inſignes medici, et in peſte practice verſati, vt PAVLVS BARBETTE, huiusque verbis ISBRANDVS de DIEMERBROECK, vt et RAYMVNDVS MINDERERVS et GREGORIVS HORSTIVS, vt alios nunc taceam, primas ipſi tribunt in curatione bubonum peſtilentialium. Vſum verbis Barbettianis, aliquantulum contractis, adſcribam: *Bubonibus*, inquit, *quam primum impono veſicatorium, etſi vix quicquam intumuerint. Poſt ſeptem, octo, pluresue horas veſicam excitatam incidi curo, et impono emplaſtrum magne-*

magneticum arſenicale, quod inter omnia alia, quæ vnquam vidi aut nominari audiui, præclariſſimos maximoſque effectus edit, quemadmodum quilibet, qui eo vtitur, comperiet. - - Hoc emplaſtrum eius naturæ eſſe comperi, quod ſicuti craſſæ duræque imponatur, tunc ne minimam quidem cruſtam faciat, et nihilo minus malignos humores tam potenter extrahat, vt magnitudinis nucis tumor interdum quatuor aut ſex dierum ſpacio penitus euaneſcat. Reliqua videantur apud DIEMERBROECKIVM *de peſte Libr. III. cap.* 12. Idem BARBETTE ad carbunculos etiam peſtilentiales hoc emplaſtrum laudat, ita tamen vt primas cauterio actuali, ſecundas potentiali aut forti veſicatorio, tertias demum huic remedio tribuat. Sed in eo DIEMERBROECKIVS ab ipſo diſcedit, nec cauterium auctuale probans, nec emplaſtrum hoc commendans.

EMPL. MATRICALE.

Valet aduerſus omnes vteri affectus frigidos, præſertim ſuffocationem et ſtrangulationem vterinam, vmbilico impoſitum.

EMPL. DE MELI LOTO.

Eſt emolliens, carminatiuum et anodynum, ex veteri inſtituto omni duritiei ventriculi, hepatis, lienis, aliarumque partium deſtinatum. Hodie frequentiſſimus eius vſus eſt in tonſillarum inflatione tam pituitoſa, quam ſeroſo-ſanguinea, vbi cum emplaſtro de cicuta vtiliſſime iungitur et camphora etiam remiſcetur. Incommodum eſt in hoc emplaſtro, quod non adhæret tenaciter, cui iam olim mederi cupiue-

runt commentatores MESVES : et forte non male, certe non contra ſcopum, facerent pharmacopœi, ſi radicem altheæ et ſemen fœnigræci, maiori quam præſcriptum eſt doſi aſſumta, pro mucilagine impetranda decoquerent, quo magis lentam et tenacem conſiſtentiam ipſi compararent.

EMPL. DE MINIO.

Refertur ad JO. de VIGO, in cuius *parua et compendioſa chirurgia Lib. V. cap. vltimo*, ſub vnguenti tamen forma, docetur et proponitur. In *Practica* eiuſdem, quæ *copioſa* inſcribitur, *Lib. VIII. cap.* 16. deſcribitur *Ceratum capitale de minio*, quod cum noſtro ſatis conuenit, niſi quod maſtichen et gummi elemi inſuper recipit. Quemadmodum vero auctor hoc, quod capitale appellauit, in cranii fracturis ſeorſim vtebatur, vel ſolo, vel cum emplaſtro de betonica, aut ſimili mixto : ita hoc, quod ſimpliciter *de minio* nomen habet, ad alias fracturas et vlcera etiam adhibebat. Habet vires ſiccandi et refrigerandi ſeu repellendi, ſatis conſpicuas a ceruſſa, lithargyrio et minio.

EMPL. MIRACVLOSVM.

Variis nominibus innotuit et circumfertur. Alii vocant illud *MAVRITII PRINCIPIS NASSOVIAE*: alii *COMITIS DIGBY SATVRNINVM*; alii *SAPONATVM BARBETTE*, rurſusque alii ſimpliciter *DIASAPONIS*, aut *DIASAPONIS TACHENII*. Et quamquam deſcriptiones aliquantum variant, nec ab omnibus eadem pondera ingredientium ponuntur, res tamen eadem eſt et manet. PAVLVS BARBETTE *in prax. med. libr. I. c. vltimo*,

mo, quod de catarrhis inſcribitur, recenſioni eius hoc epiphonema ſubiungit: *magni, quæſo, facias hoc emplaſtrum, ingenioſe lector.* Eſt autem ibi ſermo de doloribus arthriticis. Quod ad vſum pertinet, ipſis auctoribus huius Diſpenſatorii placuit de eo nos edocere. Quibus pauca addemus vſu explorata. Egregium eſt in ictero curando, vbi durities ſub hypochondriis ſentitur, huic impoſitum, præſertim ſi vſus ſaponis internus iungatur. Alui durioris moleſtias corrigit, præſertim in infantibus, vnde nomen accepit das Purgir-Pflaſter. Tumoribus quibuſcunque frigidis reſoluendis bonum eſt. Vmbilico impoſitum menſes ciet. Poſtquam per aliquot horas in parte aliqua hæſit, remouendum eſt, præſertim in tenerioribus, ne cuticulam eleuet. Quidam cum oleo hyoſcyami coctum ad nodos et tophos podagricorum ſeorſim expetunt.

EMPL. NERVINVM.

Refertur ad auctorem JO. de VIGO, ſed ex parte correctum eſt ad mentem ZWELFERI. Emolliendo, digerendo, reſoluendo et roborando neruoſarum partium malis in primis ſuccurrit. Aliud neruinum antipodagricum ZWELFERI, quod potentius quam hoc reſoluit, ſupra vidimus.

EMPL. NORIMBERGENSE.

Variæ admodum ſunt deſcriptiones, quoniam a priuatis, qui illud diſpenſant, in arcanis habetur. D.D. ARGENTORATENSES et RATISBONENSES ſaponem addunt: quo pacto a *miraculoſo* dicto parum vel nihil differt. Eſt fere vniuerſale empla-

ſtrum, quod reſoluendo, exſiccando et roborando ſatis bene ſe gerit, et vndiquaque celebratum eſt. Parum differt a camphorato D. D. STAHLII.

EMPL. OPODELDOCH.

Eſt inuentum THEOPHRASTI PARACELSI, ſed leuiter hic emendatum. Addunt aliqui magnetem præparatum, cui priſca credulitas attrahendi magnas vires tribuebat, male argumentata ab eo, quod lapis integer facit, ad comminutum et in marmore tritum. Ab ipſo auctore, multisque aliis, tantum non pro vniuerſali habetur et prædicatur, quod et vulnera recentia ſanet, et ex iis ſpicula, aliaque aliena extrahat, ſed et ſymptomata noxia auertat.

EMPL. OXYCROCEVM.

Fuit quondam, et adhuc forte apud aliquos eſt, valde æſtimatum et vſitatum ad fracturas oſſium. At vero propter acrimoniam et caliditatem iam olim illud reprehendit JO. de VIGO *libr. VIII. cap.* 16. qui *diabolicum ceratum* vocat, *ob attractionem nimiam et pruritum loci, quibus duobus vtplurimum oſſis fractura vexari ſolet applicatione illius.* Hæc vt eueniant ſi præter neceſſitatem adhibeatur, diutiusque in loco relinquatur, certum tamen eſt quod in contuſionibus, vt et luxationibus, ad dolores ſedandos et diſcutiendum ſatis laudabile et efficax deprehendatur. Noui exemplum pueri duodecim annorum, quem iratus pater fuſte quodam in ceruice durius percuſſerat, vnde vertebra colli quarta, vt exiſtimare licebat, grauiter læſa fuit. Naſcebatur in eo loco tumor durus, immobilis, oui columbini magnitudine protube-

rans et collum ita verſus anteriora et alterutrum latus inclinans, vt erecto capite incedere non liceret. Huic, poſt alia irrita, hoc emplaſtrum, ſatis diu adhibitum, ita emendauit vitium, vt vix amplius ſentiretur: forteque penitus abſtuliſſet, ſi ab initio fuiſſet adhibitum. Cum euphorbio mixtum ſatis bonum præbet rubefaciens, quod conuenit, vbi vlcuſcula, quæ retroceſſerunt, reuocare volumus, auctore VESALIO *in conſiliis a SCHOLZIO editis p.* 117. Ruſticorum in vicino Palatinatu ſuperiori hoc cum *Incognito* eſt quaſi ſacra ancora, vt vix medicum aut chirurgum adeant, niſi viribus horum in caſſum prius tentatis.

EMPL. DE PELLE ARIETINA MONTAGNANAE ſeu ad hernias.

Rarius hodie expetitur, poſtquam expeditiora in vſum venerunt. Commendatur ad luxata, prius repoſita, vt partes relaxatæ tonum naturalem recuperent; itemque ad hernias, quamuis CORNELIVS a SOLLINGEN, *p.* 288. illud minime probat.

EMPL. de RANIS CVM MERCVRIO VIGONIS.

IDEM SINE MERCVRIO.

Simplex, id eſt ſine hydrargyro paratum, commendatur ad dolores ex cauſſa frigida, vt et ad reſoluendos et emolliendos tumores frigidos. Alterum autem cum mercurio doloribus et tumoribus ex inquinamento venereo ortis, vt et glandularum aliis tumoribus, deſtinatum eſt, vbi plerumque mercurii pondus duplex, ſæpe vero etiam triplex vel quadruplex expetitur.

EMPL. SANTALINVM, alias INCOGNITVM dictum.

Dicatum est obstructioni et indurationi hepatis aliorumque viscerum hypochondriacorum. A plebe Palatinatus superioris ad omnis generis tumores, dolores, vulnera, vlcera expetitur, quo non satis proficiente ad oxycroceum, et ab hoc demum ad medicum confugiunt. Vocant unbekannt.

EMPL. SAPONATVM.

Vide supra MIRACVLOSVM: quippe a quo non differt, nisi quod in saponato minor est saturninorum quantitas.

EMPL. de SPERMATE CETI.

Inuentor est MYNSICHTVS, qui *armament. sect.* 26. *p.* 520. ita commendat: *mammis puerperarum, post partum non lactantium, impositum et continue per multos dies gestatum, omnibus ex lacte doloribus et tumoribus etiam duris, imo scrophulis et strumis, medetur: lac enim coagulatum siue concretum soluit, eiusque abundantiam absumit.* Quod elogium sæpe experientiæ respondet. Sed et contusis et sugillatis probe succurrit. Concretum illud, quod sperma ceti vocamus, est indolis ad saponem proxime accedentis: ipsiusque viribus gummi galbanum succurrit. Non incommode camphora additur.

EMPL. de SPERMATE RANARVM.

Auget censum tot emplastrorum saturninorum, a quibus solis illa vis refrigerandi, quam chirurgi liquamini spermatis ranarum magna ex parte tribuunt, proficiscitur. Scilicet adstringendo, et satis quidem efficaciter, ob saccharum saturni et reliqua e plumbo parata, agit. Ambitui inflammationum, iam suppurascentium, vt et vlcerum ac fonticulorum dolentium aut prurientium, circumponitur.

EMPL. SPLENETICVM.

Est HIERONYMI FABRICII ab AQVAPENDENTE, sed interpolatum et succis cicutæ florumque geniſtæ auctum. Vsus conuenit cum emplastro de cicuta, quod supra vidimus.

EMPL. STICTICVM CROLLII.

Auctor ipse in *Basilica sua chymica pag.* 269. vires eius innumeras breui elogio complectitur: *sub lunari globo non reperitur efficacius.* Longo deinceps ordine sigillatim indicat, aduersus quos morbos valeat. Tamquam vniuersale emplastrum censeri cupit. Non est dissimile emplastro opodeldoch Paracelsi, de quo dicta huc etiam valent.

EMPL. STOMACHALE.

Ventriculo debili, flatulentiis distento, vomiturienti conuenit.

*EMPL. AD STRVMAS.

Egregium hoc b. D. D. JO. MAVR. HOFFMANNI crebro experimento comprobatum, et in *notis ad Hartmanni praxin chymiatricam pag.* 1056. ad ZWINGERVM auctorem relatum emplastrum, citato loco descriptum legatur.

EMPL. DE TACAMAHACA.

Conuenit cum emplastro catarrhali, quod supra vidimus: nisi quod in illo opium accedit. Vsus est idem.

EMPL. PRO TEMPORIBVS.

Etiam conuenit cum catarrhali, et habet opium.

EMPL. TRIAPHARMACON.

Vocatur etiam de *lithargyro nutrito Mesuæ.* Est simplicissimum, sed potentissimum siccans saturninum.

EMPL. CONTRA VERMES.

Est puerorum abdominibus, quando vermibus laborant et anthelmintica per os adsumere detrectant, imponendum: aut internis exhibitis adiungendum.

EMPL. VESICATORIVM.

Quo tempore vesicas excitare consultum sit, in therapia generali ac speciali docetur. Vbi conue-

nire

pire illas iam repertum est, hoc emplastrum satis erit efficax ad exsequutionem: præsertim si iam supra corium extenso pulueris cantharidum portio inspergatur. Aliquando globulos, instar pisorum, ex illo formamus, et fonticulis non recte fluentibus ad breue tempus imponimus.

ESSENTIA ABSINTHII SIMPLEX.

Essentiæ sunt genus medicamentorum, quod nondum integro sæculo officinis cognitum, nunc vero adeo multiplicatum est, vt fere omnium simplicium vegetabilium essentiæ prostent. Quum vero spiritus vini, quem pro vegetabilium extractione adhibemus, nil nisi sulphureas ac resinosas partes soluere possit, mucilaginosas autem sæpe vtilissime coniunctas et naturæ artificio mixtas minime attingat, sæpe fit vt nomine suo, quod essentiales vires simplicium exhibere promittit, minime respondeant. Erit inferius occasio exempla istiusmodi essentiarum indigitandi. Porro incommodum est, quod essentiarum istarum pars maxima sit spiritus vini, vtique egregius et magnarum virium, sed non omni morbo, subiecto et tempori æque conueniens: quippe humores valde expandit et exagitat, efficitque vt multa, quæ spiritui huic non maritata ampla dosi impune ac vtiliter dantur, sub essentiæ forma longe potentius agant et effectum sæpe heteroclitum edant.

Vt ad absinthii essentiam veniamus, illa satis bonum est stomachicum, quod ventriculi imbecillitati succurrit, et appetitum excitat: sed et caput valde ferit ob oleum vaporosum, quo absinthii summitates pollent: quare aliquibus placet illam parare ex absinthii extra-

cto

cto per ſpiritum vini reſoluto non rectificatiſſimum. Dari poteſt ad guttas triginta, quinquaginta.

ESSENTIA ABSINTHII COMPOSITA.

Eſt ſatis laudabile ſtomachicum et carminatiuum, quod vel per ſe dari poteſt, vel cum ſpiritu nitri aut ſalis, dulcibus, mixtum, eadem, qua prior, doſi.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII.

Illuſtri STAHLIO diſplicebat electuarium diaſcordium Fracaſtorii, ob nimiam et confuſam ingredientium farraginem, et mellis, pro conſiſtentia neceſſarii, copiam. Cogitabat itaque de diaſcordio liquido, idque parabat ex radicibus quibuſdam alexipharmacis, vt helenii, carlinæ, dictamni albi, pimpinellæ albæ, angelicæ et imperatoriæ. Harum eſſentias ſeorſim paratas, pro ea ac vel mitiores vel acriores ſubiecto curando conuenire videbantur, miſcebat, et æqualem quantitatem eſſentiæ ſcordii radicum eſſentiis iungebat. Conferri de eo debet Exc. D. D. GOETZIVS in *obſeruationibus medico-pract. Stahlianis Claſſ. I. pag. 70. not. 24.* vbi ex ſcriptis et prælectionibus Illuſtris STAHLII adducta teſtimonia clariſſima leguntur.

Eſt medicina efficax ad transſpirationem et lenem diureſin conſeruandam, promouendam et intendendam, modo tempeſtiue exhibeatur, et in regimine nihil peccetur: de quo quidem neceſſarias cautiones hic adſcribere non licet: petique facile poſſunt ex celeberrimi D. D. JVNCKERI *conſpectu medicinæ theoretico-*

retico-pract. vbi in singulis, quibus conuenit, morbis, vsus cautus ostenditur. Addatur eiusdem *Consp. therap. general. p.* 148. vbi, præter alia huc facientia, vsum paucis his complectitur: *Specialem huius remedii vsum vt paucis attingamus, conuenit præcipue in omnibus pene febribus, (iusto tempore data) et sub finem earum continuata, non tantum vires restaurat, sed etiam ne motus residui febriles in lentam vel hecticam transeant, sæpe felicissime probibet. Vbi quoque turgida inflatio sub variolarum ebullitione abest, aut ipsæ variolæ, aliaque exanthemata retrogressa, mortem minantur, sæpe ea moderata expulsione salutem reduxit. Porro insigniter confert vitiis lymphæ et catarrhalibus malis, coryzæ, grauedini, branchо, rheumatismis: tutoque resoluit et expectorat in tussi, vomicæ pulmonum, empyemate, quin et phtbisi, tempore custadias. Nec respuenda est in quauis humorum spissitudine, quam, diuturno parco vsu, in primis motu corporis coniuncta, attenuat, et ad faciliorem circulum ac sinceri sanguinis salubrem exitum, in suppressione mensium et lochiorum, præparat. Ceterum parcis et repetitis dosibus* (a guttis viginti ad triginta) *non autem in magno feruore et orgasmo sanguinis, neque in febre ephemera, synocho, causo &c. facile eam porrigere conuenit.* Aliqui continuatum huius medicinæ vsum suspectum habent, quippe resinosorum vegetabilium insignis ad peripheriam vergentia quotidie conspicitur. Circumspectæ obseruationi igitur commendatur, an citra omnem rationem metuant, purpuræ albæ rubræque crebrum prouentum aliqua ex parte deberi huius medicinæ abusui.

ESSENTIA ALOETICA.

Ingrata medicina est et nauseosa. Melius et prudentius aloe sub pilulari forma datur. Si omnino placeret aluum per aloetica cito laxare, non incommodum vsum præberet Elixir polychrestum Halense, de quo supra.

ESSENTIA AMARA.

Satis amara est et non parum etiam calida, phlegmaticis quidem subiectis, ventriculi et intestinorum impuritatibus, præsertim lumbricis, scatentibus satis apta. Consistentem ætatem iam adeptis et ad hæmorrhoides dispositis parcius adhibenda est. Dari potest ad guttas XXX. B. D. D. CHRIST. FR. RICHTERVS in tractatu germanico, qui inscribitur höchst nothwendige Erkänntniß des Menschen, pag. docet quandam essentiam amaram ventriculo roborando, vermibus expellendis, vt et lymphæ impuritatibus corrigendis, admodum commodam, quæ olim in officina pharmaceutica orphanotrophei copiose dispensabatur, ex absinthio, tanaceto, radicibus angelicæ et lapathi acuti paratam et cum essentia succini remixtam. Longe minus hæc est calida, possuntque guttæ triginta ad quinquaginta homini adulto præberi.

ESSENTIA AMBRAE.

Expetitur æque ad vsum medicum, quam artificum, qui bono odore imbuere chirothecas et alia solent. Atque externis his vsibus hæc cum moscho parata satis est commoda. Sed ad medicos vsus melius ad-

adhibetur ſine moſcho facta, quippe quæ caput longe minus ferit. Commodiſſime et quaſi ex tempore paratur hæc eſſentia, ſi ſumamus ſpiritum a tinctura antimonii acri abſtractum, (qui, ſi genuinum vini ſpiritum adhibueris, per ſe ambram redolet) et fruſtillatim diſcerptæ ambræ in filtro ex charta emporetica poſitæ ſuperfundamus, qui quicquid in ambra genuinum et non acceſſorium eſt, ſtatim diſſoluit et per filtrum traducit. Hominibus ad exæſtuationem ſanguinis non valde pronis, præcipue ſenibus, non male datur, præſertim matutino tempore poſt infuſum calidum aſſumtum, ad quindecim vel viginti guttas. In conſtitutione graui, catarrhali, conſeruando transſpirationem inſenſibilem optimum eſt. CRATONIS teſtimonio, per recentiores obſeruationes confirmato, ambra eſt optimum in peſtilentia remedium præſeruatiuum.

ESSENTIA AMBRAE
SICCA.

Satis improprie eſſentia dicitur. In aliquibus officinis duplex proſtat, altera *completa*, id eſt cum moſcho, altera *incompleta*, quæ moſcho caret. Priori etiam addi ſolet oleum cinnamomi, poſteriori oleum ex corticibus citri recentibus expreſſum, quod de Cedro vocamus. Secundum noſtram deſcriptionem ſcrupulus vnus habet ambræ paullo plus quam duo grana, moſchi autem grani vnius fere dimidium. Adhibetur pulueribus, morſulis et id genus aliis grato odore imbuendis, pro iis qui ferre talia poſſunt; vbi prouidendum ne quid nimis fiat: pauca enim grana ſufficiunt. Alibi, vt in *pharmacop. Argentoratenſi*, ſacchari duplum præſcribitur: rurſus-

que

que alibi, ad præſcriptum *pharm. Auguſtanæ*, minor portio ſumitur; quo omnino reſpicere medicum oportet, qui in vſum reuocare cupit.

ESSENTIA ANAGALLIDIS flore purpureo.

Hæc eſſentia ſpecificam efficaciam habere perhibetur ad maniacos curandos. Vtrum ſola vllum hominem curauerit, equidem neſcio. Dococtum autem huius plantæ, idque copioſe ſumendum et continuandum, a multis egregiis viris inſigniter commendatur; quod certe conuenientius erit quam eſſentia ſpirituoſa.

ESSENTIA ANODINA EX LAVDANO.

Non video, cur ex pretioſo laudano parari debeat, quum multa, eaque inter ſatis cara, illud ingrediantur, quæ ad extractionem prorſus inepta ſunt: atque hoc intuitu præferenda eſt ea, quæ ſequitur, ad mentem LVDOVICI paranda. Dari hæc noſtra poteſt a guttis decem ad viginti.

ESSENTIA ANODINA LVDOVICI.

Ipſemet auctor celeberrimus de ea ſcribit, quod in malignarum complurium principiis, vomitibus ac diarrhoeis complicatis, aliiſque affectibus, remediis ordinariis ad guttas ſex vel octo ſociata; per ſe vero in rheumatiſmo, vomitu, diarrhoeis, nephritide, ad guttas X. XII. vel XVIII. noctu data, polychreſta ſit.

Quem-

Quemadmodum compendiosior est et viliori pretio, quam præcedens, parabilis; ita in eo inferior censeri debet, quoniam croco destituitur, qui tamen vario intuitu vtiliter cum opio iungitur.

ESSENTIA AROMATICA.

In affectibus frigidis ventriculi et intestinorum conueniet, mixta stomachicis et carminatiuis aliis. Offerri possunt guttæ XXX. ad L. habita ratione temperamenti et consuetudinis.

ESSENTIA ARTHRITICA.

Hæc essentia peculiare præ plurimis aliis hoc habet, quod menstrui loco inseruit spiritus lumbricorum terrestrium volatilis, qui vegetabilibus quibusdam non contemnendis, extrahendis earum viribus, affunditur, addito in fine sale volatili viperarum. Quemadmodum vero lumbricorum virtutem antispasmodicam et antarthriticam multi egregii viri confirmant, eaque efficacia in puluere eorum succoque conspicitur: ita merito experientiæ suffragium exspectatur, an eadem vis post putrefactoriam alterationem in liquore salso volatili per destillationem prolecto amplius superfit, de quo infra suo loco dispiciemus. Nihil itaque de vsu ac viribus huius medicinæ determinare audeo.

B. D. D. JO. MAVR. HOFFMANNVS in vsu habuit tincturam lumbricorum terrestrium anodynam, quam in *Actis Laborat. chemici Altorf. proc.* 192. describit, vbi lumbricorum virtus minus alteratur, quamque adhuc frequenter adhibent ab ipso edocti viri, in doloribus arthriticis, aliisque scorbuticis te

ſpaſmodicis, compeſcendis. De hac inferius diſpiciemus.

ESSENTIA ARTHRITICA EXTERNA D. D. STAHLII.

Commendat illam auctoris illuſtris fama et experientia tot annorum felici artis exercitio comparata.

ESSENTIA ASÆ FOETIDÆ.

In *pharmacop. Bateana* celebratur vterina, traumatica et ſplenetica, doſisque præſcribitur drachma vna vel altera in liquore conueniente præbenda. Exterius etiam ad odorandum offerri poteſt.

ESSENTIA AVRANTIORVM CORTICVM.

Eſt nobile medicamentum ſtomachicum et carminatiuum vt et analepticum. Dari poſſunt guttæ triginta et vltra. Paratur etiam non contemnenda eſſentia aurantiorum ex tenellis fructibus, quæ grata amaritie et colore ſaturate viridi ſe commendat, et cuiuſuis eſſentiæ ſtomachicæ vires æquat. Jucunde ſumitur ſi fruſtulo ſacchari inſtillata ſit. Doſis eſt, eadem.

ESSENTIA BALSAMI PERVVIANI.

In hac diſplicet, quod extractioni vel ſolutioni iuuandæ ſal tartari adiicitur, hocque pacto vſui ſuo præcipuo externo vulnerario minus apta redditur. Juuat autem in vulneribus abſceſſibusque depu-

depurationem et abſterſionem leniter promouendo, putredinem arcendo, et carnis laudabilem prouentum fouendo. Interne adhibita effectum balſamicum edit, et excretiones omnes blande ſtimulat. Quia autem eſt calidum medicamentum, doſi admodum moderata offerri debet, ad guttas XX. XXX. HOFFMANNVS in *Act. Lab. chem. Altorf. proc.* 122. parandam docet cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, deque ea a guttis octo ad ſedecim ſumta ſingularem fructum promittit in cruditatibus ventriculi pituitoſis reſoluendis, vlceribus internarum partium mundificandis, et lympha in glandulis variis coagulata diſcontinuanda.

ESSENTIA BEZOARDICA.

Radices et herbæ hanc ingredientes ſatis probæ ſunt et conuenientes, modo myrrha, camphora et crocus, tamquam humores valde exagitantia, abeſſent, quæ faciunt vt eſſentia hæc in multis febribus et ſubiectis locum omnino nullum inueniat. Ad præſeruationem tempore contagioſo, et in genere graui ac nebuloſa tempeſtate phlegmaticis conuenit, ibique doſis eſſe poſſunt guttæ triginta.

ESSENTIA CALAMI COMPOSITA D. D. STAHLII.

Est carminatiua et ſtomachica, minime calida. Dari poſſunt guttæ XXX. et amplius.

ESSENTIA CARDAMOMI.

Est elegans carminatiuum. Dentur guttæ XXX.

ESSENTIA CARMINATIVA.

Medicina est optima, satisque bene conuenit ventriculo et intestinis flatulentia et doloribus a frigida causa vexatis. Parum diuersa, etsi paullo minori ingredientium numero constans, est essentia carminatiua WEDELII in *pharmacop. Argentoratensi et Ratisbonensi* descripta. Dosis vtriusque eadem est, a guttis triginta ad quadraginta: quin in phlegmaticis et catarrhali nebulosa constitutione paullo altius adscendi potest.

ESSENTIA CASTOREI.

Nota est castorei commendatio ad affectus spasticos dolorificos et in specie ad passionem mulierum hystericam, quibus præcipue hæc essentia crebro solet præscribi. Illustris STAHLIVS et ab ipso deducti viri, castoreum vbique fere reprobant interne adhibendum. Mihi mitius de essentia castorei sentiendi primam occasionem dedit medicus amicus, quocum hiberna pluuia tempestate iter faciebam, quo ille vehementi colica corripiebatur, cum tanta neruorum fibrarumque contractione, vt vmbilicus intro ad lumborum vertebras retractus esset, omnino que corpus erigere non valeret, aliorumque manibus e rheda tollendus esset. Hic illico adferri sibi essentiæ huius drachmam dimidiam curabat, qua epota et cyathis aliquot calidæ superhaustis quasi in instanti liberabatur, vt eodem die negotiorum causa per vrbem obambulare posset. Ordinaria dosis sunt guttæ viginti, triginta. Externe adhibetur ad odorandum; clysteribus subinde additur drachma vna,

in passionibus colico-hysthericis. Basin etiam constituit *mixturæ acusticæ FVLLERI* in *pharmacopoea extemporanea* descriptæ, vbi ad essentiæ huius duas drachmas oleorum saluiæ, rorismarini, caryophyllorum, maioranæ ana guttæ duæ adiiciuntur, huiusque mixturæ guttæ duæ tresue gossypio exceptæ auri immittuntur, ad tinnitum et susurros catarrhales emendandos: cuius remedii bonitatem crebro experimento cognoui.

ESSENTIA CENTAVRII MINORIS.

Vulgo paratur ex summitatibus siccatis, vnde aequiritur essentia atro-rubens, stomachica et anthelmintica, quæ ad guttas XXX. - L. præbetur. Si vero ex summitatibus recentibus præparetur, affuso spiritu non rectificatissimo, tinctura fit sature viridis, quæ ad cochlear vnum vel alterum sumta effectum laxatiuum manifestum edit, et febribus intermittentibus, præcipue quartanis, insigniter conducit.

ESSENTIA CHACCARILLÆ CORTICVM.

Est gratum ipsa amaritudine sua medicamentum, quod ventriculi vitiis medetur, et pulmonibus prodest, tonumque viscerum relaxatum instaurat, quo nomine febri intermittente laborantibus, aut ab iisdem nuper restitutis, apprime conuenit. Quod pectori prosit manifeste cognoscitur, vbi expectoratio in peripneumonia non recte succedit: quamuis hoc casu fere consultius sit extractum ex hac essen-

tia inſpiſſata paratum aquis diapnoicis addere quam ipſam ſpirituoſam eſſentiam. Eſt inſuper verum paregoricum, et ſtricturas partium dolorificas blande reſoluit. Dantur guttæ XXX- LX.

ESSENTIA CHINCHINÆ.

Duplex parandi modus præſcribitur, alter cum ſpiritu vini alcaliſato, alter aqua ſimplici per ſal tartari ad melius extrahendum armata. Illa ad recidiuas febrium intermittentium præcauendas vtilis eſt, ſi guttæ XXX. aut plures bis vel ter quouis die ſumantur: hæc curatoria ad vnciam vnam vel binas cum vino Rhenano præbetur. Sed non video quam prærogatiuam veram habeat præ ſimpliciſſimo adhibendi modo in ſubſtantia vel electuario: planeque perſuaſum habeo, corticem Peruuianum tota ſua ſubſtantia ſumtum optime iuuare febricitantes, qui illo opus habent.

ESSENTIA CINNAMOMI.

Eſt analeptica et carminatiua. Dantur guttæ XXX. et vltra. Sed vix illa indigemus, quum ſuppetat longe gratior et efficacior aqua cinnamomi ſpirituoſa.

ESSENTIA CONTRAIERVÆ.

In radice contraierua ſunt particulæ alexipharmacæ ſatis temperatæ terreis, nonnihil adſtringentibus permixtæ, vnde aduerſus malignos morbos, præcipue caſtrenſes cum dyſenteriis complicatos, celebratur. Vereor vt ſpiritus vini vires eius tam bene extrahat,

trahat, et in corpus ægrotantis fideliter diſpenſet, vt non melius in ſubſtantia offeratur. Dari poteſt, niſi ob ſpiritum parciores eſſe iubemur, drachma dimidia.

ESSENTIA CORTICVM CITRI.

Tam ſimplex, quam multo magis compoſita, eſt iucundum et incomparabile medicamentum ſtomachicum, tonicum et alexipharmacum. Doſis et vſus conueniunt cum eſſentia aurantiorum.

ESSENTIA CROCI.

Male requiri ad extrahendam croci eſſentiam ſpiritum rectificatiſſimum exiſtimo, quippe qui nihil ex croco, præter colorem et ſulphuream vaporoſam ſubſtantiam, humoribus expandendis vnice aptam, extrahit, quum tamen nobiliſſimæ vires lateant in principio quodam mucilaginoſo, quod vehiculum aqueum exſpectat. Quare præſtat ſumere ſpiritum debiliorem vini aut liliorum conuallium vel ſimilem. Interne rarius adhibetur hodie ſub tali forma, aut ſaltem doſi admodum parca, a guttis tribus ad decem. BOERHAAVE in collegio MSSto, quod ipſo inuito prodiit ſub titulo *chemiæ, proceſſ. LVIIII.* dicit *drachmam vnam ſumtam excitare lætitiam maximam, quamuis homo melancholicus eſſet ſeu hypochondriacus: inducit ſic amabilem inſaniam. Nimis vero ſumta ſeu olfacta inducit apoplexiam; vt nouimus hic* (Lugduni Bat.) *contigiſſe egregio Profeſſori hypochondriaco, quum medicus præſcripſiſſet hanc tincturam, vnde puerilis euaſit.*

Sed hoc omisit in propriis curis edita chemia, vbi tamen *pag.* 245. testatur de extracto, quod *vires habeat lætificas adeo, vt in risum fere perpetuum et indecorum nimius vsus adigat.* Quod vero croco insit vis lætificandi, in tenerrimis infantibus experiri et aliis ostendere sæpe licuit, quibus, si quis vitrum vacuum, in quo nuper essentia croci fuit, naribus admouet, statim risus suboritur. Externe ad inflammationes, præsertim dolorificas et æstuosas, discutiendas spiritui camphorato admiscetur. Etiam aquis ophthalmicis additur. Cum spiritu non rectificatissimo parata minus timide offerri potest, præsertim in subiectis et morbis frigidis. Sic noui aliquem a subita totius corporis incalescentia in aerem pluuium frigidum progressum, inque eo diutius moratum, hinc toto corpore celeriter intumuisse: huic medicus mihi quondam familiaris altero die integrum cochleare essentiæ debilioris infudit, eoque salutem promte reddidit.

Optimarum virium essentia croci sic paratur. Recipe croci optimi integri vnciam vnam, micæ panis similaginei non fermentati vncias duas. Simul contunde in mortario lapideo, sensim affundendo vini boni Canariensis sufficientem quantitatem, vt fiat puls mollis, omniaque croci stamina sint comminuta. Huic pulti porro affunde vini eiusdem vncias sex, et in vitro probe clauso aliquamdiu relinque ac digere. Sic acquires tincturam instar sanguinis rubicundam, quam roborando, excretionibus sine violentia stimulandis, animo exhilarando, lithiasi cohibendæ vitæque longæ ac sanæ procurandæ vtilissime licet adhibere. Datur a guttis decem ad triginta, sexaginta et vltra, pro subiectorum et circumstantiarum

diuer-

diuerſitate: eſtque hoc veriſſimum AROPH HELMONTII, vt a viro fide digno, qui familiariter cum ipſo vixerat, accepi. Feminis in flore ætatis conſtitutis omnia crocata parce circumſpecteque offerenda ſunt.

ESSENTIA FVLIGINIS.

Auctorem habet D. GABRIELEM CLAVDERVM, qui in *methodo balſamandi* eam deſcripſit, et alexipharmacæ titulo dignatus eſt. Vocatur etiam hæmato-cathartica. Vires præcipue debet ſalibus alcalino-armoniacalibus menſtruo aqueo ſolutis et combinatis, a quibus fuligo, concretum acidoreſinoſum, ſoluitur, exaltatur et quadantenus in naturam ſalis medii mutatur. Enaſcitur hoc pacto medicamentum ſcopo reſoluendi et excretiones omnis generis ſtimulandi ſatis idoneum, quod morbis tamen chronicis magis quam acutis conuenit. Doſis ad præſcriptum elaboratæ poteſt a guttis XXX. ad LX. aſcendere. Alii vero ad extractionem fuliginis adhibent ſpiritum deſtillando prolectum, poſtquam ſolutiones cinerum clauellatorum et ſalis ammoniaci coniunctæ ſunt; vt præſcribitur in *Actis Labor. ch. Altorf. proc.* 69. 70. Talis eſſentiæ doſis a guttiæ XII. ad XX. vel XXX. aſcendit.

ESSENTIA GENTIANÆ RADICIS.

Scilicet rubræ. In cenſu amarorum ventriculo proficuorum haud infimum locum gentiana hæc obtinet, eodemque valet hæc eſſentia. Alias etiam ad febres profligandas, tamquam alexipharmaca, laudatur:

datur: quod vltra intermittentes extendi non debet. Conf. quæ ex STAHLII mente in hanc rem adfert D. D. GOETZIVS *obſ. med. pr. Stahlianarum Claſſe I. p.* 71. Dari poteſt per ſe, vel ſpiritibus dulcibus ſalis aut nitri coniuncta.

ESSENTIA HYPERICI FLORVM.

Non ſolum vulneraria eſt, verum etiam in deliriis ſine febre, epilepſia, et morbis a faſcino, vt et contra vermes, commendatur. Dantur guttæ XXX-LX. Externe adhibendæ iuuat prius partem ſpirituoſitatis nimiam abſtrahere, vt minori dolore vulneribus applicari poſſit.

ESSENTIA HYSTERICA.

Vſum titulus indicat. Dantur guttæ XXX. XXXX.

ESSENTIA IALAPPÆ.

Eſt purgans, habetque in ſe reſinoſas radicis ſuæ particulas, a quibus vis purgandi pendet. Datur a drachma vna ad ſcrupulos quatuor. Valde incommodum eſt in hac vt et ſcammonii eſſentia, quod reſinoſum eius inter aſſumendum faucibus et œſophago facile adhæret, præſertim ſi non multum calidæ cereuiſiæ et pinguium ſuper ingeramus: vnde ardores faucium, vomitus, nec non hypercatharſes excitantur. Omnino igitur conſultius eſt vel puluerem radicis dare, vel, quod parum differt, ſpecies diaialappæ Mynſichti, vel ipſam reſinam præbere: de quibus ſingulis ſuo loco dicetur. Aliqui, ad

imi-

imitationem ZAPATÆ (conf. infra *Eſſ. Scammonei*) vnciam vnam reſinæ Gialappæ ſoluunt octo vnciis ſpiritus vini rectificatiſſimi: quod valde mihi placet, quoniam ſic accurate ſciri doſis poteſt, quod in eſſentia ex radicibus parata non æque licet, quum alia fruſta plus, alia minus, de reſina contineant. Doſis eſſentiæ ex reſina paratæ eſt drachma vna pro homine robuſto: vel aqua quadam ſpirituoſa ſumenda, vel cum ſyrupo quodam ſcopo conueniente.

ESSENTIA IVNIPERI.

Vocatur etiam Elixir Iuniperinum, magnisque laudibus effertur a SCHROEDERO in *pharm. med. chym. lib. IV.* ob inſignes virtutes diureticas, lithontripticas et ſtomachicas. Datur cochlear vnum. Aliqui loco ſpiritus iuniperi baccarum adſumunt vinum Maluaticum, ſicque acquirunt medicamentum ſuauiſſimum, longeque minus calidum, quod *Maluaticum Juniperinum* vocatur, cuiusque cochlearia plura aſſumere licet.

ESSENTIA LIGNI ALOES.

In hac eſſentia paranda aliqui ſuadent adhibere ſpiritum formicarum, vnde magis cephalicum et analepticum medicamentum impetrare ſperant. Additur plerumque ſtomachicis, vterinis, cephalicis medicamentis, ad virtutes eorum exaltandas. Debet tamen moderate ſumi, quoniam expanſiuis et inebriatiuis viribus non deſtituitur.

ESSENTIA LIGNI GVAIACI.

Pro depurando ſanguine lymphæque vitiis, præſertim venereis, tollendis expetitur: vbi tamen

opus

opus eſt infuſis vel decoctis appropriatis ſuccurrere. Dantur guttæ XXX — LX. ſed vario intuitu præſtat decoctum adhibere quam vel eſſentiam vel reſinam.

ESSENTIA LIGNI SAS-SAFRAS.

Idem eſto iudicium ac de præcedenti.

ESSENTIA LIGNORVM.

Componitur ex lignis potiſſimum et radicibus antiueneris, et frequentiſſime expetitur ad curationes morborum lymphæ vitio inhærentium, vt venerei, catarrhalium, ſcabiei, et id genus aliorum. Agit potiſſimum tenue miaſma et acre inuoluendo et incraſſando, vt melius poſſit deinceps excludi: vnde obſeruamus in ſcabie ſicca, minuta, plus conferre talia, quam in humida. Debet tamen adiuuari diluentibus copioſis, et regimine vel diaphoretico vel ad minimum diapnoico. Datur drachma dimidia, ad integram et vltra.

ESSENTIA LITHONTRIPTICA.

Eſt liquamen, quod omnem ſuam efficaciam debet ſpiritui ſalis. SCHROEDERVS in *pharmacop. med. chym. lib. II. c.* 66. haud multum diſſimilem huic recenſet, deque eo promittit, quod in calculo reſoluendo ſit maximarum virium. Guttas quatuor, quinque et vltra indies propinare iubet. Experientiæ ſuffragio deſtitutus nihil in alterutram partem aſſerere audeo.

ESSENTIA LVMBRICORVM TERRESTRIVM.

Datur in morbis arthriticis vt et ſpaſmodicis omnibus, a guttis XXX. ad LX. Conferatur *Tinctura lumbr. terr. anodyna.*

ESSENTIA MASSÆ PILVLARVM de CYNOGLOSSO.

Vires *eſſentiæ anodynæ ex laudano* æmulatur, ſed aliquanto mitior eſt.

ESSENTIA MASTICHES.

Ventriculo et inteſtinis roborandis, aluique fluxibus cohibendis deſtinata eſt. Poteſt addi aliis ſtomachicis, præſertim aurantiorum et citri eſſentiis, vt et carminatiuis. Dantur guttæ XXX - LX.

ESSENTIA MILLEFOLII.

Commendatur maxime ad morbos viſcerum, quæ cum vena portæ connexa ſunt: præſertim ad motus hæmorrhoidales moderandos, ad menſium fluxum nimium, vomitum nephriticorum et cruentum. Dantur guttæ XXX. et vltra. Sed commodius eſt pleriſque his caſibus præbere infuſum theiforme ex ſummitatibus millefolii paratum: aut aquam millefolii cum vino paratam, quæ in vomitu nephriticorum incomparabilis a me ſæpius deprehenſa fuit.

ESSENTIA MYRRHAE.

Myrrhæ efficacia in ſanguine expandendo eiuſque motum accelerando, vt et in menſibus pellendis,

dis ac lumbricis expellendis, satis nota est. Spiritu autem vini resoluta hæc omnia agit celerius et potentius, adeo vt integer myrrhæ in puluere datæ scrupulus vix tantum humores exagitet, quantum guttæ sexaginta essentiæ huius possunt: quare dosi mediocri, et viginti vel triginta guttas non facile excedente, dari debet, nec nisi phlegmaticis subiectis.

Externus vsus vulnerarius est, omni laude dignissimus, ad vlcera repurganda et nouæ carnis laudabilem prouentum fouendum ac promouendum. Huic autem vsui non bene conuenit illa, quæ ex præscripto paratur cum spiritu tartarisato, aut talis, vbi myrrha prius liquore nitri fixi irrorata est; quippe dolores, ardores et humorum affluxum producens: omnino-que melius est talem adhibere, quæ simplici bono spiritu, eoque mediocriter tantum rectificato, facta fuit, quo quidem essentiam tam bene saturatam parare licet, quam si alcali adiicimus.

Cum spiritu salis ammoniaci vinoso facta nec ipsa contemnenda est, considerarique debet, vt sal quoddam volatile, quod, præter myrrhæ reliquas et proprias vires, etiam tonicas insignes possidet: quare in cachexia virginum et feminarum, vbi menses ob flacciditatem et atoniam partium perrumpere nequeunt; vt et in catarrhalibus affectibus, raucedine, tussi, singularem vsum pollicetur, moderata dosi exhibita, ad guttas, sex, decem, quindecim.

ESSENTIA OCVLORVM CANCRI.

Admodum improprie sic dicitur, estque inconcinna formula: quidquid enim tincturæ spiritus extrahit,

hit, omne debetur ſali tartari: cum cuius tinctura vſus etiam conuenit. In *pharmacopœa Bateana* deſcribitur tinctura oculorum cancrorum, contrario prorſus modo parata, ſcilicet cum aceto, cuius cochlearia duo ter in die ſumenda commendantur ad vlcera curanda: quod minime diſplicet.

ESSENTIA ODONTALGICA D. D. STAHLII.

Vſibus externis videtur deſtinata, ore detinenda, cauo denti inſtillanda: vt et addi poterit linimentis, quibus gingiuæ ſcorbuticorum facile cruentandæ defricantur.

ESSENTIA PANIS.

Neſcio quem vſum habeat: nocere non poteſt analeptico fine. Ad integrum cochlear præſcribi poſſe videtur.

ESSENTIA PECTORALIS.

Vocatur etiam *aſthmatica Anglica*. Baſin præbet mel et glycyrrhiza, opii parum, et ad ſingulas vncias eſſentiæ croci drachmæ ſingulæ accedunt. Non mala videtur compoſitio, poteſtque aſthmaticis et chronice tuſſientibus ſubinde cochlear mediocre porrigi. In *pharmacopœa Bateana* legitur tinctura mellis, cuius vſus ad duo vel tria cochlearia phthiſicis pro nutrimento commendatur: atque huius reſpectu hæc noſtra dici poſſet tinctura vel eſſentia mellis compoſita.

ESSENTIA PIMPINELLÆ ALBAE.

Est remedium plane polychrestum, alexipharmacum, diureticum et diaphoreticum. Præcipue in torminosis colicis affectibus, a causſa frigida pendentibus, probe se gerit. Impuritatibus lymphæ quibuslibet corrigendis proficua est. Dantur guttæ XXX. LX. In affectibus faucium iuuat subinde guttas octo vel decem sine vehiculo lente deglutire, vel simpliciter ex cochleari ori infusas, vel frustulo sacchari instillatas.

ESSENTIA PINI.

Quibusdam locis valde æstimatur et celebratur ad cacochymiam scorbuticam corrigendam: immo tamquam vniuersale corruptorum humorum correctorium adhibetur. Dantur guttæ LX.

ESSENTIA PIPERIS INDICI.

De vsu ipsi auctores nos admonent. Est reuera bonum stomachicum, quod salinam potius quam oleosam, ebullitionem sanguinis inducere aptam, qualitatem possidet. Dari possunt guttæ XXX.

ESSENTIA PVRIFICANS.

Est essentia mumiæ, aqueo et salino menstruo extracta, et inuentum CLAVDERI. Virtus præcipua debetur liquori præcipitanti, id est sali tartari aut cineribus clauellatis. Dosis est cochlear mediocre, cum vehiculo copioso.

ESSENTIA RHABARBARI.

Vocatur etiam *tinctura*, itemque *anima rhabarbari.* Partes salinas et resinoso gummeas radicis huius, in quibus vis purgans residet, bene complectitur. Est bonum resoluens et deobstruens, quare hypochondriacis in primis bene conducit. Pro diuerso scopo dosis variat: vbi laxare aluum cupimus, cochlear vnum vel alterum exhauriendum est: resoluendi scopo guttæ XXX-LX. sufficiunt. Non male coniungitur cum tinctura antimonii tartarisata, aut tartari acri, ita vt huius pars vna ad duas tresue illius adiungantur.

ESSENTIA SACCHARI.

Ne quid desit essentiarum, hæc quoque excogitata est. Quem vsum singularem præstet non video. Tussientibus tamquam expectoratiuum offerri solet. Dari potest plenum cochlear, et vltra.

ESSENTIA SALVTIS.

Titulus est virium abundantissimus præco. Est medicina stomachica, pectoralis, alexipharmaca, diuretica. Dari potest ad guttas XXX.

ESSENTIA SARSÆ-PARILLAE.

Idem esto iudicium, quod de essentia ligni Guaiaci.

*ESSENTIA SCAMMONII.

Non contemnendo medico JO. BAPT. ZAPATAE in vsu sequens fuit, quam *mirabil. medico-chir.*

pag. 173. deſcribit. Vnciæ vni ſcammonii affunde ſpiritus vini optime dephlegmati vncias octo, et digere, donec omnia ſoluerit. Tunc cola et ad vſum ſerua. Seorſim vero ſolue ſacchari quantam libet portionem, quanta fieri poterit minima aquæ quantitate. Vſus tempore miſce eſſentiæ drachmam vnam, quæ mediocris doſis eſt, cum ſoluti ſacchari vncia vna: coniungentur abſque eo vt eſſentia ſcammonii turbetur, edetque hæc mixtura facilem et optatum effectum. Laudandum in hac eſſentia, quod accurate ſcire licet quantum ſcammonii in vncia vel drachma contineatur, et quod, ob ſacchari adiectionem, iucunde bibitur, et abſque metu illius incommodi, quod ſupra in eſſentia Jalappæ notauimus.

*ESSENTIA SCORDII.

Eſt diaphoretica et alexipharmaca. Per ſe dari poteſt ad guttas XX. XXX. Sed vtilius iungitur alexipharmacarum et diureticarum radicum eſſentiis, ſicque emergit diaſcordium liquidum ſ. *Eſſentia alexipharmaca STAHLII*, de qua ſupra diximus.

ESSENTIA SEMINIS SANTONICI.

Contra lumbricos parata eſt, videturque ſatis bona ad verminoſam colluuiem turbandam, præſertim ſi laxans idoneum et efficax ſubiungatur. Dari adulto poſſunt guttæ XXX. ad LX. Flores vitrioli veneris, qui accedunt, a ZWELFERO præſens remedium in vermibus celebrantur: ſed magnopere vereor vt quicquam de illis in eſſentiam tranſeat, ob vitriolum martis, quod pariter et maiori quidem quan-

quantitate, adiicitur : vnde nec nauſea, quam venerea creare ſolent, magnopere extimeſcenda eſt.

ESSENTIA SPLENETICA.

Ex aperitiuis, reſoluentibus et ſpleneticis, quamuis, vt mihi videtur, non ſatis apte iunctis, paratur. Dari poteſt hypochondriacis ad guttas XXX. Atque hæc ſcripſi intuitu illius deſcriptionis, quæ exſtat in editione priori; quam nunc penitus omiſſam video, ſubſtituta alia, quæ Illuſtri Archiatro STAHLIO debetur, longe concinniori, quæ non ſine fructu hypochondriacis dabitur.

ESSENTIA SPLENIS BOVINI.

Eſt medicina Paracelſica a CROLLIO in *baſilica chym. p.* 224. propoſita. Promittitur de ea, quod lienis obſtructiones expediat et menſes prouocet. Dare iubet ſcrupulum vnum. Quantum promiſſioni effectus reſpondeat, mihi nondum compertum eſt.

ESSENTIA STOMACHICA.

Sat laudabilis eſt compoſitio et titulo ſuo congrua. Sumi poſſunt guttæ XXX. ad LX.

ESSENTIA SVCCINI.

Pulcra eſt medicina, quæ, interno vſu, roborantem, balſamicum et anticatarrhalem vſum præbet. Sumitur a guttis XXX. ad LX. Externe ingreditur balſama vulneraria, cum eſſentia myrrhæ, ariſtolochiæ, oleo terebinthinæ, ouorum, balſamo Peruuiano et ſimilibus. Notandum autem eſt, quod iam de eſſen-

tia myrrhæ monui, externis vſibus eam non eſſe idoneam, vbi ſal aliquod alcalinum in præparatione acceſſit, ob dolores, ardores et affluxum, qui inde conſequuntur.

Eſſentia ſuccini iuniperina vires diureticas maiores exſeret, et in gonorrhœa ac fluore albo potiſſimum conferet. Cum ſpiritu ſalis ammoniaci parata, accedit ad eſſentiæ myrrhæ, cum eodem factæ, indolem: idemque eſto iudicium.

ESSENTIA THERIACALIS.

Eſt alexipharmaca et ſimul leuiter opiata, affectibus catarrhalibus et rheumaticis non incongrua. Ante aliquot annos in Saxonia celebrari cœpit eſſentia quædam antipodagrica, quæ huic noſtræ vt ouum ouo tam videbatur ſimilis. Dari poſſunt guttæ LX. et vltra.

ESSENTIA TRAVMATICA.

Admodum parum differt ab ea, quæ in *pharmacopœa Argentoratenſi* ad b. D. D. WEDELIVM refertur. Componitur ex balſamicis et adſtringentibus. Prædicatur inſignibus viribus pollere in hæmoptyſi, vomitu cruento, menſibus et hæmorrhoidibus immodicis, dyſenteria. Coniungenda iubetur cum tinctura coralliorum, anodyna, martis adſtringente, elixirio pectorali. Doſis ſunt guttæ XX. XXX. Enimuero ſemper cogitandum eſt in eiuſmodi caſibus, ab adſtringentium vſu citius omnimodam ſuppreſſionem, quam moderationem fluxus, impetrari, adeoque cautiſſime mercandum eſſe. Conferatur, ſi placet, diſſertatio inauguralis *de apoplexia ex hæmorrhoidum*

dum inconsulta suppressione 1723. Altdorfii habita a D.D. GEORG. EPHR. SCHMID, vbi ferales noxæ a tali medicina ortæ notabili exemplo ob oculos ponuntur.

ESSENTIA TRIFOLII FIBRINI.

Stomachicas, antiscorbuticas, anthypochondriacas, et, vt mihi compertum est, pectorales insignes vires exserit: quamuis has vltimas magis in infuso theiformi aut decocto cum cereuisia exserit hoc trifolium amarissimum. Dantur guttæ triginta ad sexaginta.

ESSENTIA VIGANI.

Confer infra descriptionem pilularum Vigani. Cui vsui seorsim tam pilulæ quam essentia destinatæ sint, nescire me profiteor.

ESSENTIA VTERINA.

Vtriusque hoc nomine propositæ, et ex simplicibus sat bonis concinnatæ, vires et vsus conueniunt. Scilicet menstruorum vitiis corrigendis, et passioni hystericæ curandæ destinatæ sunt. Dari possunt guttæ triginta et amplius.

ESSENTIA VVLNERARIA.

Aliquanto minus, quam præcedens traumatica, adstringit minusque calida est. Etiam menstruum, quod ex dimidia fere parte præbet spiritus lumbricorum terrestrium volatilis, vtpote salinus, diureticus et tonicus, magis placet: cui iungitur vinum maluaticum,

ticum, analepticum, et minus, quam ſpiritus vini, calefaciens. Vnde videtur aliquas non contemnendas prærogatiuas præ traumatica poſſidere, et, modo iuſtæ cautelæ obſeruentur, vtiliter præberi poſſe in internarum partium exulcerationibus. Dari poſſunt guttæ XX. XXX.

ESSENTIA VVLNERARIA ſeu BALSAMVS VVLNERARIVS STAHLII.

Multum fructum in chirurgia præbet hic balſamus, præcipue in ſinibus abſceſſuum repurgandis et conſolidationi aptandis. Vſus eſt externus, vt immediate inſtilletur vel ſiphone iniiciatur.

EXTRACTVM ABSINTHII.

De extractis in genere obſeruandum eſt, quod multum interſit quo menſtruo illa extraxeris. Sic extracta abſinthii, fumariæ, carduibenedicti, ſi aqua parentur, ſpecificam ſui ſimplicis virtutem vſque adeo perdunt, vt nullum eorum ab altero odore diſtinguere valeas: quod ſecus accidit, ſi cum ſpiritu vini pares et in inſpiſſando modeſte calorem adhibeas. Sal tartari addi non vſque adeo conſultum eſt; non ſolum ob attrahendi ex aere vim incoercibilem, quod incommodiſſimum eſt in pilulis inde factis: verum etiam, et præcipue quidem, quod virtuti ſpecificæ vegetabilium derogat, quod exemplo opii, aliorumque vegetabilium efficaciſſimorum, correctore Starckeyano imbutorum, apparet.

Hoc abſinthii extractum cum ſpiritu paratùm oleo quidem vaporoſo, quod in hac planta eſt, maximam

partem

partem deſtituitur, adeoque caput non valde ferit; attamen virtute ſtomachica et anthelmintica neutiquam deſtituitur. Expetitur a quibuſdam ad eſſentiam abſinthii parandam, nouo ſpiritu, quantum ad ſaturatam eſſentiam opus eſt, affuſo: qualis iis præcipue conuenit, qui cum languido ventriculo caput debile habent, poteſtque largiori doſi propinari. Sed præcipue pilulis deſtinatum eſt, vbi quum per ſe vtiles ſuas vires habeat, illud inſuper commodum adfert, quod pulueribus excipiendis idoneum, vt loqui ſolemus, corpus præbet.

EXTRACTVM AGARICI.

Adhibetur pilulis purgantibus, vbi in ſpecie tuſſi aut aſthmate correptis volumus ſuccurrere. Virtus ipſius purgans eſt debilis, ita vt ſcrupulus vel drachma dimidia parum ducat niſi ſtimulum addas e. g. mercurium dulcem cum reſina ialappæ aut trochiſcis alhandal.

EXTRACTVM ALOES SVC. COTRINAE QVERCETANI.

Aloes ſubſtantia concreuit ex particulis reſinoſis et gummeis: in reſina, notante HERMANNO, JVNCKERO et aliis, eſt vis ſtyptica et balſamica, aut, ſi mauis tonica adſtringens: in gummea reſidet virtus purgans. Ab illa pertinaces alui adſtrictiones, et orgaſtica incommoda, cum moliminibus hæmorrhagicis, vſu præſertim continuato, metuuntur. Propterea gummeam a reſinoſa ſeparare quærimus, ſoluendo totam aloen menſtruo aqueo; quo etiam Quercetani propoſita methodus ſpectat. Sed ſi calorem

fortiorem, vſque ad coctionis gradum, adhibeas, omnia ſimul ſoluuntur. Melius ſcopum adſequimur, ſi aquam ſucco citri, vel alio modo, blande acidulatam adhibemus, hacque frigida affuſa loco tepido ad extrahendum reponamus, tamdiu repetita affuſione, donec reſinam fuſco rubente colore exutam obſeruemus et nihil vel parum admodum in affuſum menſtruum recipi videamus. Atque talis aloe gummoſæ nomine, ſi prius blando calore in craſſamentum redacta ſit, venire, et pilulis addi hodie ſolet, non contemnenda ſane induſtria, vbi medicinam tutam et continuato vſui aptam meditamur. Poteſt quidem integer ſcrupulus, et amplius etiam, innoxie dari; ſed pauca grana æque bene laxant, ac integer ſcrupulus.

EXTRACTVM ANGELICAE.

Virtutes pectorales et blande anodynas poſſidet, quare pilulis catarrhalibus commode additur. In colica dilui poteſt aqua millefolii ſpirituoſa vel fl. chamæmeli, addita, ſi res exigit, laudani liquidi Sydenhami mediocri doſi. Dari poteſt ſcrupulus vnus vel drachma dimidia.

EXTRACTVM ANTIFEBRILE.

Poteſt electuariis antifebrilibus addi: habet enim vim tonicam adſtringentem: aut potius ex ſimplici hoc extracto in pilulas efformato ſcrupulus vnus aliquot diebus porrigatur ad ventriculum et inteſtina roboranda. Quod inferius occurrit *Extr. febrifugum*, pollet viribus magis diaphoreticis.

EXTRACTVM CASTOREI.

Adhibetur opiatis tamquam antidotus, aut saltem vires eorum infringens, nimiamque narcosin impediens. Deinde pilulis et mixturis anthystericis et anticolicis iungi, vt torminum spasmodicorum vehementiam minuat. Dosis non debet esse magna: sufficiunt grana duo ad quinque.

EXTRACTVM CATHOLICVM.

Est inuentum THEOPHRASTI PARACELSI, sed hic interpolatum, additis aloe et Jalappa, oleisque quibusdam carminatiuis. Catholicum dicitur, quod omni humorum generi euacuando aptum existit. In *pharmacopœa Augustana* vt et *Argentoratensi*, sic exstat, vt a Paracelso profectum est: quoniam autem medicus Italus, EVSTACHIVS RVDIVS, illud, omisso eius nomine, præ omnibus commendauit: factum est vt a multis sub extracti Rudii nomine laudetur: monente WEPFERO *obseruat.* 46. *pag.* 125. Dari potest a granis decem ad drachmam dimidiam. Jungi potest mercurio dulci, si morbis lymphæ speciatim mederi cupimus.

EXTRACTVM CHACCARILLAE.

Extractum hoc in Norico tractu, nisi me omnia fallunt, primo natum et celebratum est, encomio b. D. D. JO. LVD. APINI, Professoris quondam apud Altorfinos celeberrimi, longe lateque deinceps com-

mendatum. Egregias possidet vires ad promouendam expectorationem in peripneumonia, doloresque etiam mitigandos. Deinde conuenit quoque in fluxibus alui torminosis, dysenteria, colica. Prælaudatus APINVS extractum hoc in essentiam iterum redactum, vel mixturis diapnoicis additum in febribus catarrhalibus malignis, præmisso vomitorio, exhibebat. Aliis placuit ad omnium intermittentium febrium curationem idem transferre, et vel in pilulari forma vel in potiunculis illud præbere. Dosis sunt grana tria, quinque et vltra. Video dubitari a docto quodam viro, vtrum b. D. D. APINVS chaccarillam, an chinam laudauerit, et annon extractum suum ex china parauerit. Sed vix dubium esse potest de chaccarilla, quum medicinæ præparationem Altorfino pharmacopolio permiserit, in qua superstites beati viri multæ formulæ præscriptionum omnem dubitationem tollere videntur.

EXTRACTVM CHOLAGOGVM.

Id est bilem ducens, Ad QVERCETANVM auctorem in *pharmacop. Auguſt.* refertur, minusque vsualibus attribuitur. Basin præbet Aloes extractum, cui rhabarbari non modicum, tum et senna ac scammonium, adduntur. Potest pilulis, quibus serosobilioſos humores expurgare cupimus, pro basi inseruire: quin ipsum per se in pilulas redactum et a XV. ad XXX. grana oblatum benigne satis expurgabit.

EXTRACTVM COLOCYNTHIDIS.

Vix vmquam solum datur ob vehementem acrimoniam, sed stimuli loco aliis lenioribus et lenioribus, in pilularem formam redigendis, addun• tur grana duo, tria, sex ad decem.

EXTRACTVM CROCI.

Non de nihilo est, quod admonetur melius quibusdam videri, si hoc extractum sola aqua paretur. Possunt paucula eius grana pilulis itemque electuariis aliisque formulis admisceri, vbi viribus croci indigemus. Est etiam vsus externus, quando aquis rosarum, nymphææ, solani additur, hisque imbuta et iterum expressa lintea capitibus phreneticorum, cephalalgia immoderata laborantium aut vigiliis attritorum, applicamus. Conferantur de essentia croci superius iam dicta.

EXTRACT. DIACARTHAMI COMPOSITVM.

Vocatur etiam Cnicopharmacum. Est a JO. GVINTHERIO ANDERNACO *de medicina vet. et nou. comm. II. pag.* 626. descriptum et in *pharmacop. August.* tamquam nobilissimum et ad omnes vitiosos humores euacuandos accommodatissimum ac multimoda experientia comprobatum celebratur. Seorsim autem cachecticis et hydropicis conueniens iudicatur. Quoniam debile est, exstimulari potest additis aliis fortioribus. Per se drach-

ma dimidia ad integram, et vltra datur, dilutam vel aqua conuenienti cum syrupo rosaceo aut violaceo solutiuo.

*EXTRACTVM DIACITRI.

Est HIERONYMI REVSNERI, physici quondam Augustani, multisque hodie adhuc familiare est, ad humores bilioſos ac seroſos blande expurgandos in cachexia, ictero, obstructionibus hepatis et lienis, itemque in febribus omnis generis. Datur scrupulus vnus ad drachmam.

EXTRACTVM EPILEPTICVM.

Vtrum experientiæ calculo vires, quas titulus promittit, exserat, equidem non habeo compertum: sed descriptio non est ad regulas artis pharmaceuticæ. Saltem hoc incongruum videtur, quod rasuram cornuum craniique humani spiritu vini extrahere iubemur.

EXTRACTVM FEBRIFVGVM.

Vide supra extractum antifebrile. Post febres iam superatas non adeo ineptum fuerit scrupulum vnum in pilulas vel bolum redactum deuorare, ad ventriculum et viscera roboranda, sanguinique vegetum per illa progressum conciliandum. Est autem inuentum FRID. DEKKERS, qui in *exercitationibus practic.* p. 189. illud describit. Adde quæ infra ad eiusdem *oleum febrifugum* ex mente eius dicentur.

EXTRA-

EXTRACTVM HELLEBORI NIGRI.

Optime paratur ſimplici aqua, absque vel ſpiritu vel ſale tartari. Eſt polychreſtum remedidium, ſatisque antiqui vſus, ſed ab Theophraſto PARACELSO inprimis reuocatum, qui DAVRÆ nomine illud celebrat, quo nomine et hodie paſſim venire, præſertim Viennæ, ex WEPFERI *obſerv.* 78. *p.* 277. colligo. Ad morbos chronicos, cephalæam, vertiginem, epilepſiam, maniam: tum vero etiam ad rebelles et contumaces quartanas, vt et vlceroſos affectus cutaneos chronicos valde commendatur. Et in his quidem vltimis, et vbicunque lymphæ impuritates tollendæ ſunt, cum mercurio dulci aut cinnabari bene iungitur, et in pilulas redigitur. Si aloeticis additur, hæmorrhoides prouocat, et per has multos graues morbos aufert. Datur, pro morbi grauitate et ægroti viribus, a granis quinque ad ſcrupulum. In tenerioribus hominibus non ſuaſerim quantumuis exiguas doſes diu continuare, longeque melius eſt ſemel ſat efficacem, modo non nimiam, præbere, quam paruas poſt breuia interualla: cuius aſſerti rationes alio forte tempore pleniſſime exponam.

In *pharmacopoea Argentoratenſi* præſcribitur extractum ellebori nigri maſtichinum, quod fit, quando extracti ad conſiſtentiam fere iam incraſſati ſinguli drachmis puluꝛis maſtiches ſcrupulus dimidius additur.

EXTRACTVM IRIDIS NOSTRATIS.

Iris noſtras vel lutea eſt vel cærulea. Illius radices adſtringenti virtute pollent, ſimileque extractum dabunt. Credo autem hic intelligi debere cæruleam, cuius ſuccus hydragogum præbet efficacisſimum: quando autem igne tractatur, valde miteſcit, neque tamen deſinit ad hydropem et dyſpnoeam bene ſe gerere. Dari poteſt a granis ſex ad ſcrupulum.

EXTRACTVM IVNIPERI BACCARVM.

Valde conuenit cum Rob iuniperi, niſi quod conſiſtentiam ſpiſſiorem nactum eſt. Vires habet alexipharmacas et diureticas, vt et carminatiuas ac ſtomachicas. Sub tali conſiſtentia conducere poteſt pilulis catarrhalibus, quando pulueres minerales, vt arcanum corallinum et ſimilia, inuoluere cupimus, ad curandam luem veneream. Vbi vero iſte vſus non intenditur, commodius eſt rob præſcribere, aut Maluaticum iuniperinum ſ. Eſſentiam iuniperi, de qua ſupra dicebamus.

EXTRACTVM LIGNI GVAIACI.

Additur pilulis arthriticis, anticatarrhalibus vt et antiuenereis, itemque in genere omnibus, vbi ſanguinem vel lympham depurare animus eſt. Ceterum iam ſupra diximus Guaiacum optime ſe gerere in decocto, et continuato vſu.

EX-

EXTRACTVM MAROCOSTINVM.

Vocatur etiam Aloedarium Marocostinum, estque inuentum celebris medici Augustani RAIMVNDI MINDERERI, qui de hac medicina peculiarem libellum conscripsit et edidit, in quo et compositionis huius consilium, omnesque modos in præparatione tenendos, ac denique vsus eius amplissime edisserit. Præscripta hic formula *pharmacopoeam Augustanam* fere sequitur, nisi quod succum limonum, nescio an typothetæ errore, an consilio, omittit, cuius viginti vncias illa requirit. Si verum fatendum est, extractum hoc, indeque formatæ pilulæ, vere sunt polychrestæ, possentque cum multis aliis de prærogatiua certare, si aloes pondus parum mutaretur, vt ad myrrham et crocum proportionatum redderetur. Videntur hoc agnouisse D. D. *ARGENTORATENSES*, qui tertiam partem aloes subtraxerunt. Dum vero omnes succos ab auctore requisitos omnino omiserunt, reuera effecerunt, vt in hoc extracto, sine his succis parato, plus aloes habeamus in vna dosi, quam in alio ad vulgatum modum confecto.

Auctor capite penultimo sui tractatus multis docet, quo pacto hoc extractum, per additionem, et veliculum appropriatum, plerisque morbis vel auertendis vel curandis accommodari possit. Hodie plerumque pro basi pilularum laxantium adhibetur, cui actiuiora, vt scammonium, resina ialappæ, mercurius dulcis, trochisci alhandal, pro ratione subiecti et morbi, adiunguntur. Datur a scrupulo dimidio, ad drachmam dimidiam, et vltra.

EX-

EXTRACTVM NICOTIANÆ.

Si ſollicite ad præſcriptum præparatum fuerit, egregium eſt remedium in tuſſi pectorali ſiſtenda, ſi prius affluxus materiæ per ſatis diuturnum vſum incidentium, diureticorum, nec non laxantium, fuit auerſus et imminutus. Sic etiam in principio phthiſeos conuenit; illa tantum cautione adhibita, ne vomitum concitet. Quod cauebimus, ſi doſin mediocrem in eſſentia alexipharmaca Stahlii diſſoluamus et offeramus: vel ad manum habeamus vinum calidum aromatiſatum, idque exorta nauſea vomibunda præbeamus. In tuſſi hypochondriaca non prodeſt. Confer de hoc remedio ex obſeruationibus et præceptis Illuſtris STAHLII recte adhibendo D. D. GOETZII *obſeru. Stahlian. Claſſ. I. pag.* 157. *ſeq.* Doſis eſt ad grana quinque vel ſex.

In *pharmacopoea Bateana* deſcribitur *extractum Peticum*, quod eſt compoſitum. Eius doſis determinatur ad ſcrupulos duos, cum promiſſo, quod *craſſos humores per vomitum et nonnumquam per ſeceſſum potenter expurget, feliciterque detur in aſthmate, et pulmonum tartaro, nec non in febribus, præcipue tertiana et quartana; vtile etiam ſit in ictero, hydrope ac arthritide.*

EXTRACTVM OPII.

Aliquanto mitius eſt opio crudo, et quo magis intenſo calore inſpiſſatum fuit, eo plus virium amiſit; atque pro eo etiam doſis erit moderanda. A grano dimidio ad duo adſcenditur.

EX-

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM CROLLII.

Ita dicitur, quod omnes humores ex æquo ducat et expurget, adeoque catholicum supra consideratum æquet. Auctor in *basilica chymica p. m.* 137. illud proponit, deque eo asserit, quod inter omnia medicamenta cathartica, licet nec labori nec sumtui pepercerit, nullum tamen, multiplici experimento facto, inuestigare potuerit, quod minori molestia assumtum operationes desideratas felicius exsequeretur, quam hoc panchymagogon.

Proponit autem duplicem præparandi modum; priorem, quem officinæ fere sequuntur, vbi omnia extrahuntur, quæ cathartica et eorum correctiua sunt, et deinceps in crassamentum rediguntur: alterum breuiorem, vbi tantum aliqua purgantia, cum speciebus diarrhodon et aloe, quæ in priori non erat, extrahuntur, deinde autem inspissato illi adduntur in substantia trochisci alhandal, diagrydium, agaricus trochiscatus et aloe. Atque de hoc posteriori modo promittit, quod medicina efficacior sit. Huncque sequuti sunt Halenses in suo Elixir polychresto, quod superius vidimus.

Est omnino bonum purgans, quod solum a decem granis ad viginti et vltra, quemadmodum catholicum, dari potest. Si cum mercurio dulci iungatur, habemus pilulas optimas mercuriales, quæ in omni lymphæ impuritate, vt et contra vermes, efficaciſſimæ deprehenduntur. Quo pacto solutum vel mixtura simplici vel spiritu vini, addito vitrioli spiritu, adhiberi ad varios vsus possit, supra attigimus.

EXTRACTVM PILVLARVM AVREARVM.

Satis moderate purgant hæ pilulæ; quumque ipſa extractione per ſpiritum vini, et exhalatione plurimum efficaciæ ſuæ perdant, mitiores etiam reddantur hocce modo. Poteſt adhiberi pro excipiente ſeu corpore formandarum pilularum laxantium et purgantium: aut etiam ſolum in pilulas efformari et ad ſcrupulum vnum vel duos, præberi.

EXTRACTVM PILVLARVM COCHIARVM.

Τὰ κοχλία, id eſt pilulæ, quas per tautologiam et ſoloeciſmum pilulas cochias appellat iam a longiſſimo tempore ſchola medica, ſunt ſatis forte purgans, adeo vt dici poſſit nullas efficaciores ab antiquitate ad nos perueniſſe. Hæ extractione mitiores reddítæ dari innoxie ad ſcrupulum vnum poſſunt. Adde de ipſis pilulis infra ſuo loco dicenda.

EXTRACTVM PILVLARVM TARTAREARVM.

Fateor me neſcire, quo conſilio pilulæ hæ extractioni nouæ ſubiiciendæ ſint, quum præſcripto modo totæ, quantæ ſunt, reſoluantur, nihilque aliud conſequi liceat, præter temporis inutiliter conſumti et virium ipſius medicamenti iacturam.

EXTRACTVM PIMPINELLÆ.

Commodum eſt parandis pilulis ſtomachicis, pectoralibus, et catarrhalibus.

EX-

EXTRACTVM RHABARBARI.

Ex rhabarbaro exhibet partem gummosam, quæ vim laxatiuam continet, sequestrata terrea, quæ adstringit et roborat. Enimuero, nisi blandissimo calore inspissetur, virium iacturam magnam facit, omninoque iners redditur. Dantur grana quindecim ad triginta. Cum mercurio dulci in pilulis ad gonorrhoeam apprime proficuum expertus est D. D. IO. MAVR. HOFFMANNVS *prolusione* XXIX. §. 53. Cum extracto croci æquo pondere iunctum, facit pilulas bonas sedatiuas, in omni spasmodico morbo et dolore proficuas, exigua dosi vnius vel duorum granorum efficaces.

EXTRACTVM SCORZONERÆ.

Mixturis et potiunculis alexipharmacis ac diapnoicis addi potest, vt et pilulis catarrhalibus. Vereor vt magnarum sit virium.

EXTRACTVM SENNÆ FOLIORVM.

Vereor vt totum sit iners, quum sal purgans sennæ adeo sit volatile, vt minimo decoctionis calore dissipetur. Dantur grana quindecim, triginta et amplius.

EXTRACTVM SOLVTIVVM.

Vires suas rhabarbaro et sennæ ac tartaro tartarisato debet. Nisi blandissimo calore paretur, non

ſolum inefficax erit, ſed torminum fœcunda mater exiſtet. Datur ſcrupulus ad drachmam dimidiam vel integram.

EXTRACTVM SPECIERVM AROMATICARVM ROSATARVM.

Quemadmodum illæ ſpecies ventriculo et hepati imbecillioribus roborandis conueniunt: ita extractum hoc eidem fini inſeruiet, mixturis et pilulis additum.

EXTRACTVM THERIACALE.

Eſt parergon aquæ theriacalis ſupra poſitæ: poſſidet quevires bezoardicas et anodynas. Poteſt mixturis, potiunculis et pilulis catarrhalibus, carminatiuis et pectoralibus adiungi. Doſis ſunt grana XV. XX. et vltra. Alibi, ad præſcriptum D. D. AVGVSTANORVM et ARGENTORATENSIVM, fit exilis ſpeciebus bezoardicis, a quibus pro tinctura bezoardica Michaelis paranda ſpiritus abſtractus fuit, reſiduum ſcilicet blando calore in craſſamentum rediigendo: quod viribus certe non inferius, quin immo efficacius etiam erit, quam ſi ad præſcriptum modum fuerit elaboratum.

EXTRACTVM TROCHISCORVM ALHANDAL.

Vide ſupra de extracto colocynthidis dicta.

EXTRACTVM VERONICÆ.

Exhibet terreſtres et adſtringentes veronicæ particulas. Neſcio cui vſui paretur, niſi quis adſtrictoriam

ctoriam facultatem ab veronica profectam tutiorem et meliorem aliis adstringentibus existimet.

FEBRIFVGVM D. CRAANII.

Vocatur alias *Regulus antimonii medicinalis.*

Quoad præparationem monendum est, optime et ad votum illam succedere, si sal commune omnino omittatur. Sic enim tota massa in vitriformem, facillime fragilem, substantiam, saporis et odoris omnino expertem, transit, a qua super porphyriten læuigata minime metuenda sunt illa incommoda, quorum caussa remediis infidis et incertæ efficaciæ a quibusdam adscriptum fuit. Cauere debemus, ab illo, quod ex aere humiditatem vllam attrahit, odorem aliquem habet, aut vitri, in quo asseruatur, lateribus exiguas crystallos salinas affigit: illud enim ad vomitorios effectus, vtique in sensibilioribus, edendos promtum est. Compendiosius etiam parari potest, si antimonii tenuissime triti partibus quatuor addamus nitri optimi crystallini partem vnam, mixtaque crucibulo frigido indamus; quod si prunis imponamus, mox videbimus flammam concipere et deflagrare: quo facto crucibulum frangatur et materia quasi pumicosa, leuis et fragilis, eximatur, quæ tenuiter trita ad drachmam dimidiam tuto sumitur. Si post deflagrationem intensiori calore ad fluorem vsque vrgeas tumque effundas, minus spongiosam reguloque antimonii simillimam massam acquires.

De vsu antifebrili nihil equidem compertum habeo: video autem a magnis medicis impense commendari ad febres quartanas, si cum mercurio dulci exhibeatur. In hydrope, præsertim anasarca, cum eodem mercurio probe se gerit, neque tamen obser-

uare illud potui, quod aliis auctoribus visum fuit, mercurium dulcem huic regulo mixtum fortius operari, planeque suspicor id tum tantum fieri, quando regulus medicinalis non recte præparatus adhibetur. In lymphæ vitiis, indeque pendentibus morbis omnibus egregium fructum adfert. Datur scrupulus ad drachmam dimidiam. De vsu specialiori conferatur elegantissima dissertatio Dom. Lic. CARL, quam Halæ sub præsidio Exc. D. D. FR. HOFFMANNI 1698. habuit. Adde, quæ leguntur in *commerc. litter. physico-med. Ann. I. p.* 74. et 132.

FERMENTVM ANODINVM.

Vocatur etiam Laudanum opiatum cydoniatum, debeturque celeberrimo Holsatiæ archiatro D. D. JOELI LANGELOTTO. Opium fermentatione magis exaltatur: vnde in dosi oportet parcos esse. Ipsemet auctor partem quartam grani vel dimidiam ad summum, offerre iubet. In teneris infantibus, alui torminibus misere vexatis et assidue eiulantibus, vigesimam quartam grani vnius partem abunde sufficere vidi.

FLORES BENZOES.

Pectorales sunt, et in specie coagulum lymphæ mucido-serosæ soluere perhibentur. Dantur grana duo ad quinque in ouo sorbili, aut rotulis. Naturam habent ad sal volatile succini aliquantum accedentem, præclare monente D. D. CASP. NEVMANNO *prælect. de succino* pag. 56.

FLO-

FLORES SALIS ARMONIACI MARTIALES.

Virtute gaudent incidendi et tenaces humores diſſoluendi, a ſale ammoniaco profecta, a marte vero tonicam efficaciam et aliquatenus anodynam nacti ſunt: vnde nonnullis valde celebrantur ad febrium, præſertim quartanarum curationem. Dantur grana quinque ad quindecim. Celeberrimus HERMANNVS BOERHAAVE in *chym. P. II.* p. 305. teſtatur, omnia, quæ Illuſtris BOYLÆVS prædicauit de *ente veneris Helmontiano*, de hoc quoque, et magis etiam, vera eſſe. Is autem *de vtilit. philoſ. exper. p. II. ſect. V. cap.* 6. ad rachitidem optimum et ſpecificum eſſe medicamentum aſſerit. *Doſis*, inquit, *eſt a duobus vel tribus granis ad decem vel duodecim, aliquando in robuſtioribus ad viginti vel triginta, in aqua deſtillata vel tenui cereviſia. Quouis tempore, dum modo vacuus ſit ventriculus, exhiberi poterit: ego tamen vt plurimum horæ decubitus propino. Operatur, quando ſenſibilis eſt operatio, per ſudorem et aliquo modo per vrinam. Plus quam centum pueruli rachitide laborantes, de quorum maxima parte conclamatum fuit, ſolo hoc - curati ſunt. In febribus etiam aliisque morbis ad conciliandum ſomnum vtiliter exhibetur: in dolore etiam capitis, ſuppreſſione menſium, lumbricis, et ad appetitum excitandum, miras exſerit vires.*

Enimuero dubito an flores hi martiales, præſertim ſi cum hæmatite, vt aliqui præſcribunt, facti ſint, ſine periculo dari tanta doſi, et infantili ætati, poſſint. Tam enim ſtyptici ſolo guſtu depre-

henduntur illi cum hæmatite parati, vt fauces omnino conſtringant et os totum contrahant: prorſus vt non ſine ratione a b. JO. MAVR. HOFFMANNO *proluſ.* 43. §. 9. inter venena reponantur, illa ſcilicet, quæ ſulphure vaporoſo cum ſale volatili ſubacri explicito ſpirituum animalium irradiationem expanſiuam ſufflaminant, ſenſationem hebetant et ſoporem inducunt, ſi in doſi exceſſiua aſſumta fuerint.

FLORES SVLPHVRIS.

Commendantur in morbis pectoris, itemque vbi exanthemata retroceſſerunt. Satis largam doſin a granis decem ad triginta aliqui commendant: ſed æque bene faciunt grana quatuor vel quinque, iunctis abſorbentibus terreis, per aliquot dies continuos exhibita.

FLORES SVLPHVRIS MYRRHATI.

Mira eſt proportio croci ad reliqua ingredientia. Non ſatis aſſequor conſilium totius compoſitionis: ſuſpicor autem, quod præſeruandi ſcopo, tempore catarrhali et quando contagioſi morbi graſſantur, inſeruire debeat, tamquam aliquod elixir proprietatis ſiccum. Atque hoc ſcopo grana decem, quindecim vel viginti dari poterunt.

FLORES VITRIOLI MARTIS.

Eſt crocus martis tenuiſſimus, qui ſub hoc improprio florum nomine venit. Virtutem tonicam adſtringentem habet. Datur, vt reliqui croci martis,

tis, exigua quantitate, grana duo, quatuor ad ſex.

GILLA THEOPHRASTI.

Eſt ſal vitrioli vomitorium, quod, quia citam ſatisque efficacem operationem edit, præcipue commendatur in caſibus ſubitis, catarrho ſuffocatiuo et apoplexia ferosa. Dantur grana decem ad triginta. Vires ſunt a metallicis, præcipue venereis, particulis, vnde ventriculum valde lædit.

*GLOBVLI CARMINATIVI VTECHTI.

Valde celebres ſunt in terris Franconicis et Sueuicis nec contemnendæ efficaciæ ad aluum reſerandam flatusque eliciendos. Deſcribuntur a D. D. ZWINGERO *in diſſert. de nitro pag.* 205. fiuntque ex ſaponis Veneti vnciis quatuor, fellis tauri vncia vna cum ſemiſſe, nitri puri vncia dimidia et ſacchari vnciis duabus mixtis, vnde diuerſæ magnitudinis globuli, ſuppoſitoriorum ritu ano intrudendi, formantur.

GLYCYRRHIZA TORTILIS.

Dicitur etiam factitia, et, quamquam improprie, cocta. Præſcribitur tuſſientibus, vel per ſe ſola, vel adiuncto linctu quodam pectorali, cui intingi bacillus talis debet, lambendoque conſumi.

HEPAR ANTIMONII.

Eſt maſſa illa, quæ, facta edulcoratione, crocum metallorum largitur. Hominibus non præſcri-

bitur hoc hepar, sed equis sæpe præbetur in puluerem redactum, ab vncia dimidia ad integram.

*IVLAPIVM GEMMATVM.

In *Dispensat. Nor.* et *Pharmac. Argentor.* pretiosum hoc medicamentum iisdem verbis vtrobique describitur. Exstat autem duplex, completum, vbi ambra et moschus accedunt, ac incompletum. Vires analepticas er cordiales præcipue debet aquæ fragranti et Confectionibus alkermes et de hyacintho. Ratione aceti vires etiam stomachicas et roborantes ac refrigerantes aliquas exserit. Additur potiunculis, habita ratione ægrotantium, vel cum odoratis, vel sine illis: cum necessario etiam respectu ad facultates ægrotantium.

IVLAPIVM ROSATVM.

Est saccharum cum quantitate aquæ rosarum necessaria solutum. Adhibetur potiunculis et emulsionibus edulcorandis. Vires aquæ rosarum cordiales perhibentur: sed in sensibilioribus, subinde aluum turbat.

IVLAPIVM VIOLATVM.

Vsus et finis conueniunt.

LAC SVLPHVRIS.

Vocatur etiam magisterium. Ad affectus pectorales præscribitur inter pulueres. Dantur grana quinque: aliqui ad quindecim et vltra ascendunt. Reuera nullam habet prærogatiuam præ sulphure quo-

uis

uis puro ſimplici: immo præſtiterit illud crudum aut flores eius adhibuiſſe.

LAC VIRGINIS.

Hoc nomine venit acetum lithargyrii per ſolutionem aluminis crudi turbatum, vt lacteſcentem colorem acquirat. Ex præſcripto Diſpenſatorii Norici camphora accedit, alumen autem omittitur. Eſt medicamentum coſmeticum, quod tenerioribus a ſolis calore quaſi ambuſtis promte ſuccurrit, ſi faciem eo illinant, etiam lentigines, ſerpiginesque delet. Videndum tamen et hic ne quid nimis fiat, quum hic fucus ſenſim pulmonicos morbos et ipſam tabem inducat, vt ſupra ad acetum lithargyrii admonitum eſt.

Aliis eodem nomine venit mixtura albicans, quæ emergit, quando ad quatuor vncias aquarum, e. g. roſarum, ſolani, plantaginis, fl. fabarum, vnicam drachmam tincturæ benzoes guttatim inſtillamus.

LAPIS MEDICAMENTOSVS CROLLII.

Videatur ipſemet auctor in *Baſilic. chym. p.* 271. vbi innumerabiles eius vires ebuccinat, vſumque oſtendit ad omnis generis vlcera et vulnera mundificanda et conſolidanda. Vtendi hic modus eſt. Vncia vna lapidis in aquæ fluuiatilis libra vna liqueſcat: poſt filtrationem ſolutione clara vtamur ad lintea imbuenda, ſordida vlcera aut fiſtulas eluendas. Quicquid præſtat, facit ratione vitrioli et aluminis. NICOLAVS LEMMERY in *curſ. chym. p. m.* 511. *ſeqq.* plures lapides medicamentoſos deſcribit, hosque inter vnum, cuius ſolutionem commendat ad iniectionem pro gonorrhoea pertinaci curanda.

LAPIS

LAPIS PRVNELLÆ.

In plerisque officinis venit nomine nitri tabulati: alicubi depuratum vocatur. Sed notandum est pro depurato nitro habendum esse optime crystallinum: hunc autem lapidem dictum de natura salis medii multum participare: vnde non solum pulueres ingratiorem saporem nanciscuntur, verum etiam vis refrigerans minor deprehenditur. De reliquo æstimandus est ex viribus nitri, quibus bene perspectis nihil opus est addere. Ad hoc prope accedit sal polychrestum, quod in scriptis Gallorum præcipue commendatum superiori potissimum sæculo inuenimus: sed sulphuris partes æquales accedunt. De vsu eius videatur BOERHAAVE *chym. p. II. pag.* 391.

LAVDANVM OPIATVM COMPLETVM.

Refertur, quoad nominis et rei primam notitiam ac commendationem, ad auctorem THEOPHRASTVM PARACELSVM: quamuis laudani Theophrastei diuersa sit compositio apud CROLLIVM in *basilica chymica p.* 173. *seq.* vbi præter alia etiam hyoscyami succus accedit: cui omnino consultius videtur crocum substituere, vt in officinis hodie vsu receptum est. A margaritis et lapide bezoar orientalibus pretium magis, quam bonitas medicamenti, augetur: moschus autem et ambra non sunt omnibus conuenientia, etsi de reliquo cum scopo medicamenti satis conspirant.

Nonnullorum medicorum sacra ancora est, ad quam continuo confugiunt, quoties somno inducendo aut doloribus mitigandis opus videtur. Ne ve-

ro in hac re grauiter peccemus, legere et ad animum reuocare inuabit Ill. STAHLII admonitiones in dissertatione, quæ *de impostura opii* inscripta est. Vbi omnino necessarius vsus cognoscitur, a grano dimidio ad duo progredi licet.

Laudano incompleto vtimur in feminis et viris, qui ab vsu illorum odoratorum et caput ferientium offenduntur. Dosis est eadem. *Laudanum hystericum* est idem incompletum, extracto castorei auctum.

LAVDANVM OPIATVM LIQVIDVM.

Parum differt a *Fermento anodino*, quod supra vidimus. In dosi admetienda respicimus, an magis vel minus inspissatum sit. Si syrupi consistentiam nactum sit, vltra guttam vnam non licet ascendere: in magis liquido ad proportionem humiditatis coniunctæ liberalioribus esse licebit.

LAVDANVM LIQVIDVM D. SYDENHAMI.

Variis vsibus a celeberrimo auctore suo destinatum fuit. Adhibuit enim in affectibus pectoralibus, colica, dysenteria, hæmoptysi, aliisque, de quibus ipsum relegere iuuabit. Specialis vsus et imitatione dignus est, quod post exhibita purgantia in morbis, vbi non consultum est a peripheria corporis ad interiora trahere, statim post operationem peractam dosin sui laudani cum aquis diapnoicis propinauit. Atque hoc etiam pacto hypercatharses mox sedat, subsequente, modo reliqua tranquilla corporis quies accedat, blanda diapnoe. Dantur guttæ decem ad viginti vel viginti et quinque.

LAVDANVM VRINARIVM.

Non eſt contemnendum remedium in vrinæ difficultate, modo prouide et modeſte adhibeatur. Scrupulus vnus duo fere grana, ſed non integra, continet. Poſſunt igitur dari grana decem, quindecim, ad ſcrupulum integrum.

LIQVOR CORNV CERVI SVCCINATVS.

Eſt diaphoreticum, diureticum et ſimul antiſpaſmodicum inſigne, quod aduerſus motus conuulſiuos epilepticos, præſertim puerorum, valde commendatur. Infantibus gutta vna vel altera ſufficit: pueris tres, quinque vel ſex præbentur: adultis viginti ad viginti et quinque vel triginta.

LIQVOR MARTIALIS.

Eſt ſatis potens ſtypticum. Per ſe datus ad paucas guttas efficax deprehenditur ad hæmorrhagias ſiſtendas. Si liquori terræ foliatæ tartari inſtilletur, tincturam vitrioli martis extemporaneam habemus. HOFFMANNI *Acta laborat. chem. Altdorf. proc.* 127.

LIQVOR MYRRHAE.

Inſeruit vulneribus et vlceribus depurandis, vſu externo.

LIQVOR PRAECIPITANS CLAVDERI.

Eſt mere alcalinus, aduerſus acidam in primis viis ſtagnantem colluuiem ſatis idoneus, quem aliqui abſcon-

abſcondunt tingendo ipſum floribus hyperici, dantque pauperibus et plebeiis hominibus, nidoroſis acidis ventriculi cruditatibus ſuperoneratis, vt et ſoda laborantibus, nec non malo hypochondriaco, indeque enatæ melancholiæ, obnoxiis. Dantur guttæ quinquaginta et vltra cum vehiculo copioſo.

*LIQVOR STYPTICVS WEBERI.

De hoc liquore JOAN. CORN. WEBERVS peculiarem libellum, ſub titulo *anchoræ ſauciatorum* edidit, cuius *pag.* 124. deſcriptionem ſequentem poſuit. Recipe vitrioli Hungarici, aluminis ana libram dimidiam, phlegmatis vitrioli libras quatuor. Coque tamdiu, donec omnia fuerint diſſoluta. Liquorem frigefactum filtra et a cryſtallis ſubinde enatis ſepara; adde tandem cuiuis libræ olei vitrioli vnciam vnam. Hoc liquore lintea quintuplicata imbue et parti ſauciatæ aut amputati, membri trunco, cum conueniente ligatura impone.

LIQVOR TERRAE FOLIATAE TARTARI.

Vide ſupra *Arcanum Tartari.*

*LIQVOR VVLNERARIVS DIPPELII.

Deſcriptionem et vſus ſpecimina legere licet *Act. phyſico-med. Ac. N. C. Vol. II. pag.* 255. 258.

LOOCH AD ASTHMA.

Lohoch Arabibus idem denotat quod apud Græcos ἔκλειγμα, apud Latinos *linctus*, quoniam

non

non ſimul et ſemel deglutienda aut deuoranda ſunt, ſed in ore detineri, ſenſimque eliquata ſorberi debent. Hoc ad aſthma humidum comparatum eſt, vt pectoris infarctum incidendo diſſipet. Vires potiſſimas debet ſcillæ; omninoque conſiderari poteſt tamquam Looch de ſcilla compoſitum, a MESVE interpolatum. Simplex eclegma de ſcilla GALENI infra videbimus. COSTAEVS ad MESVEN annotat tam potens eſſe, vt ſcrupulus dimidius ad integrum cum moſchi grano et optimo vino calido aſſumtus aſthmate laborantes ſæpe curauerit. Maiori doſi vomibundam nauſeam excitare valet.

LOOCH DE PAPAVERE.

Eſt aduerſus defluxiones acres, quæ fauces obſident, et ad tuſſiendum continuo irritant. Lambendo ſucceſſiue demitti debet. Satis ad ſcopum bona eſt medicina, quando recens eſt: nam quæ aliquamdiu ſtetit, vix poterit non vel fermenteſcere, vel alias mucilaginoſarum partium iacturam facere. Ratione papaueris etiam anodynum eſt, tuſſi tali non male quadrans. Sed nimia quantitas dari non debet aut diutius continuari, præſertim illis, qui iam diu tali morbo vexati fuerunt.

LOOCH DE PASSVLIS.

Pectori etiam dicatum eſt, ſed et capiti. Caret nimium mucilaginoſis et fermenteſcentibus, quare infantibus et puerulis lambendum præberi poteſt.

LOOCH DE PORTVLACA.

Deſtinatum eſt hæmoptyſi ſiſtendæ et vaſis pulmonalibus conſolidandis, et quidem tam refrigerando, quam leniendo et adſtringendo.

LOOCH DE PVLMONE VVLPIS.

AMESVE *de ægritud. pect. et pulm. cap. XII.* tamquam medicamentum confortans et mundificans phthisicis insigniter commendatur, vel per se vel cum syrupo myrtino sumendum. Eius loco etiam, ex mente eiusdem, sumi potest pulmo vulpis exsiccatus et in puluerem redactus, ad duas drachmas, cum syrupo prædicto, aut cum conserua rosarum.

LOOCH SANVM ET EXPERTVM.

Etiam hoc a MESVE ad nos peruenit, qui caput, quo de eo agit, ita inchoat: *Looch sanum et expertum inuenimus ad tussim, raucedinem, a frigore vel pituita crassa, in thorace aut pulmone comprehensa.* Vnde et nominis originem et vires discimus. A drachmis quinque ad decem successiue lambendum præcipit.

LOOCH de SCILLA.

Hoc apud GALENVM iam inuenimus, qui ad ANTONIVM MVSAM refert et ASCLEPIADEM: forteque ad Pythagoreæ scholæ inuenta pertinet. Commendatur ad crassa et lenta ex pulmonibus euacuanda, veterem tussim sanat, suppuratis, asthmaticis, senibus conducit. Est hoc illud looch, cuius sub asthmatico mentionem fecimus. Vbi febris adest, non videtur satis consultum. Maiori etiam quantitate sumtum vomitum concitare potest.

LOOCH de TVSSILAGINE.

Aliis inſcribitur *de farfara*. Particulas mucilaginoſas blandas radicis farfaræ, melle conditas, complectitur, adeoque illarum reſpectu vlcera pulmonum glutinare et acrimoniam humorum obtundere; huius autem abſtergente virtute mundificare valet. Vnde tuſſientibus et phthiſicis non incommodum videtur.

MAGISTERIVM CORALLIORVM.

Admodum diuerſa ſunt medicorum iudicia de plerisque horum magiſteriorum. Plures fere ſunt, qui, cum auctore ſubiunctæ heic adnotationis, eliminanda ea ex officinis, tamquam rerum deprauatarum catharmata, cenſent, eo præcipue argumento, quod vires natiuæ, quæ ſimplicibus et crudis inerant, corroſione ab acidis et præcipitatione per alcalina, omnino perditæ ſint; et quod calces iſtæ deinceps omnino inſolubiles deprehendantur. Enimuero nec patroni eorum deſunt, qui experientiæ ſuffragio certant non omnino viribus caſſa hæc eſſe, etſi natiuæ crudorum et ſimplicium vires non ſuperſunt integræ. Scilicet diureticam, abſtergentem et colliquantem efficaciam negari plerisque eorum non poſſe, præcipue ex terreis abſorbentibus et lapidibus præparatis, quotidianis experimentis conuincimur. Vtrum vero ſic parata magiſteria, e. g. coralliorum, matris perlarum, margaritarum, lapidum cancrorum, percarum, cryſtalli montanæ, lapidis Judaici, a ſe inuicem magnopere differant, et annon vnum horum inſtar omnium eſſe poſſit? alia eſt quæſtio; ad quam plerique hodie affirma-

firmatiue reſpondent, et entia præter neceſſitatem non debere multiplicari contendunt.

Ab antiquioribus, valde commendabatur hoc magiſterium coralliorum ad roborandum, vires excitandas, animum exhilarandum, hæmorrhagias ac dyſenterias compeſcendas. Datur a granis decem ad viginti vel triginta.

MAGISTERIVM CORNVCERVI. CRANII HVMANI. EBORIS. VNGVLAE ALCES.

Secundum præſcriptum Pharmacopœæ Auguſtanæ fiunt ſoluendo per acida et præcipitando per alcalinum liquorem: quod minus eſt conſultum: magis vtile, etſi non ſingulariter id quoque laudandum, fiunt ſuperfluam humiditatem exhalando, ſicque nomen ſalis cornu cerui, cranii humani, cetera, obtinet liquori cuiuis facile ſolubile reſiduum. Quæ tribuuntur talibus vires cephalicæ et cardiacæ, vix niſi a perſuaſione ſuperſtitioſæ plebis chemicæ probari poſſunt. De doſi non valde laborandum; detur effœtum corpus, ſi placet, ad ſcrupulum vel drachmæ dimidium.

MAGISTERIVM CRY. STALLORVM.

Pro exemplo ponitur, ex quo diſcamus, quo pacto parare debeant etiam aliorum lapidum pretioſorum magiſteria. Vel enim talia præcipitantur; ſicque calx acquiritur: vel poſt ſolutionem ſimpliciter euaporando ſiccantur; vnde id, quod impetratur, ſalis nomine venit. Prioris producti vires comprobari ſolent virtutibus pulueris nephritici b. D.D. VOL-

CAMERI, ſenioris, quem hodieque magni fieri Norimbergæ nouimus.

MAGISTERIVM GVMMI BENZOES.

Vſus deſcriptioni ſubiunctus legitur, ſcilicet vt ſubſtituatur floribus benzoes. Hi autem ad tuſſim et aſthma valent, præſertim ſi cum floribus ſulphuris iungantur.

MAGISTERIVM GVMMI GVTTAE.

Fit, ſecundum *pharmacop. Auguſtanam*, irrorando ſpiritu vitrioli, vt in pultiformem conſiſtentiam abeat, deinde vero exſiccando. Ita ſperatur mitius fore, vt vomitum non concitet. Sed vereor, ne ita vires omnino perdantur per acidum nimis forte. Magis placet methodus in *pharmacop. Bat.* præſcripta. Doſis eius, ſcilicet ad præſcriptum pharmacop. Bateanæ parati, ſunt gr. X. ad drachmam dimidiam. Commendatur ad ſcabiem, hydropem, arthritidem: poteſtque ſtimuli loco addi aliis, vt reſinæ gialappæ, extracto panchymagogo et ſimilibus: ſic enim minori doſi ad pauca grana præbitum nauſeam minus faciet aut vomitum irritabit. Si cum tartaro vitriolato detur, vomitum non mouere dicitur.

MAGISTERIVM JOVIS.

Calx eſt Jouis, ſi per præcipitationem impetretur: aut ſal eiuſdem: vbique naturæ adſtringentis. Si paretur ex ſtanno non puro, erit ſaturninum. De vſu interno nemini auctor fuero.

MA-

MAGISTERIVM LAPIDIS JVDAICI.

Ex antiquissimi auctoris Aegyptii, *Nechepsi*, doctrina lapis Judaicus in pollinem tritus et pubi illitus calculosos iuuat. Sed quum Galenus hunc adhibendi modum tacuisset, ab AETIO expositum, cœptum est illo interius vti: nescio quo fructu.

MAGISTERIVM LAPIDIS LAZVLI.

Methodum elaborandi optimam docet ZWELFERVS in *appendice animaduers.* Tale est, quod pictores vocant vltramarinum. Reliquis omnibus methodis nihil præclari subest: præstabitque neglectis illis vti lapide hoc præparato. Sed in eo semper cogitandum est, quod sit remedium incertæ efficaciæ, quum de substantia venerea alius plus, alius minus participet, adeoque cautione non exigua opus sit.

MAGISTERIA LAPIDIS PERCARVM. MARGARITAR. ORIENT. MATRIS PERLARVM. OCVLORVM CANCRI.

Siue simplices sunt calces per præcipitationem factæ, siue magmata salina per exhalationem paranda. Quibus præstat substituere, si placet, pulueres læuigando tritos, et aceto vel succo citri imbutos iterumque siccatos: vnde effectum edunt satis conspicuum resoluentem. Dosis est a scrupulo ad ʒj.

MAGISTERIVM SATVRNI.

Vel eſt ſaccharum ſaturni a cryſtallina forma mutatum: vel inutilis calx. Saccharo qua ſit cautione vtendum, reſpice ad acetum lithargyrii: calci inter coſmetica locus eſt: ſed eandem cautionem habet. Non multum differt.

*MAGISTERIVM MARCASITAE ſeu BISMVTHI.

Vocatur etiam coſmeticum *Clauii*: Gallis, *le blanc d'Eſpagne*. Vel aquis immiſcetur coſmeticis, vt florum fabarum, liliorum alborum, ſicque ad vncias quatuor aquarum magiſterii drachma vna ſufficit: vel vnguenti pomati vnciæ vni eadem quantitas iungitur. Sed nimis diuturno et continuato vſu faciem defœdat. Interne ab aliquibus datur ad vomitum excitandum: quod, dum alia magis explorata exſtant, non ſuadeo.

MAGNES ARSENICALIS.

Sic dicitur, quod malignitatem ex bubone peſtilentiali non aliter, quam magnes ad ſe ferrum, trahit. Additur propterea emplaſtro, quod magneticum ANGELI SALAE hinc vocatur, cuius vſum edocet pleniſſime, ex PAVLO BARBETTE, DIEMERBROECK *de peſte pag.* 252. Extimeſcendum non eſt, quia æquali portione ſulphuris addita cicuratur: vnde et emplaſtrum, cui additur, cruſtam, niſi pueruli aut alias valde teneri ſint, nullam facit, quare opus eſt prius cuticulam impoſito veſicatorio auferre.

MAGNESIA ALBA.

Vocatur etiam magneſia nitri. Nihil eſt aliud quam terra calcaria nitri, quæ paratur ex lixiuio a cryſtalliſatione nitri reſiduo. A triginta forte annis innotuit, Roma nobis transmittente magnum, ſi Diis placet, arcanum, a *Comite* quodam *de Palma* primo celebratum. Conferatur, poſt reliquos, qui de eadem commentati ſunt, D. D. CASP. NEVMANNVS in *prælect. chymicarum* tom. III. pag. 101. ſeqq. Quo pacto ex calce vulgari poſſit eadem confici, ibidem docetur. Effectum edit, ſi doſi minori ſumamus, abſorbentem, aliquando diaphoreticum et diureticum. Si vero humores acres acidos in primis viis inueniat, et ad drachmam vnam detur, ſæpe aluum ſatis notabiliter euacuat. Modus adhibendi eſt vel cum emulſione amygdalina, ex conſilio Ill. HOFFMANNI *obſerv.* phyſico-chymic *p.* 122. vel cum ſale Anglicano: cuius ſi vnciam dimidiam, aut ſex drachmas, magneſiæ autem drachmam dimidiam vel amplius vitro, quod libram aquæ capit, infundas, eandemq; mixturam aliquoties in alterum vitrum purum transfundas, ſal tandem ſoluitur et cum magneſia quaſi aliquam emulſionem lacteam ſiſtit, quæ ſucceſſiue bibita, et maiori aquæ quantitate, donec ambo penitus ſoluta et ingeſta ſint, ſociata, admodum laudabilem facilemque alui expurgationem faciunt, iiſque præcipue conducunt, quibus ardor ventriculi, quem ſodam vocamus, moleſtiam facit. Teneris etiam infantibus ſubinde dari poteſt, ad lactis et pulmentorum acrimoniam in ventriculo ſubortam contemperationem, præcipue quando torminibus vexantur.

MARS SVLPHVRATVS.

Est mars sulphure addito calcinatus et in crocum redactus : adeoque videnda sunt, quæ supra de crocis martis fuere dicta.

MASSA PRO FORNACE.

Vsum titulus docet.

MATERIA PERLATA.

Est subtilissima calx antimonialis, habetque eosdem vsus, quos antimonium diaphoreticum sale suo non omnino orbatum. Commodissime adhibetur potiunculis, immo etiam emulsionibus, quia in minimas et subtilissimas moleculas discerpi se patitur. KVNCKELIVS scribit, se ex antimonio diaphoretico mercurium currentem parasse, ex hac materia nullum amplius impetrare potuisse. Vocatur etiam *Magisterium antimonii diaphoretici.*

MEL ANACARDIORVM.

Vix alium vsum habet, quam vt ingredatur confectionem anacardinam, de qua supra egimus.

Tribuitur tamen illi vis insignis scirrhos, etiam durissimos, dissipandi, cui fini a chirurgis apud Indos degentibus crebro adhibetur. Commendatur etiam in linguæ paralysi restituenda, si eo confricetur et in ore detineatur, et JO. BAPT. MONTANVS, haud vanus auctor, testimonium probi effectus intra septiduum editi, reliquit, *Cons. med.* 68.

MEL ANTHOSATVM.

Vires aliquas a roſis et floribus roriſmarini accepit. Adhiberi ſolet inter clyſteres, qui colicis et hyſtericis infunduntur: pareſin præcauere creditur.

MEL AQVILEGIÆ.

Tam hoc *ſimplex*, quam tanto magis illud, quod ſequitur, *compoſitum*, dicatum eſt decoctis illis, quibus ad gargariſandum vtimur, ad faucium vitia, vt et ad collutionem oris ob gingiuarum putridarum et ſanguine ſæpe fluentium vitia: vide SENNERTVM in *prax. med.* vbi ſub *vnguenti de aquilegia* titulo laudatur. In angina tantillum de ſpiritu ſalis addatur: quo potentius diſcutit et ſuppurationis euentum præcauet.

MEL MERCVRIALIS.

Nomen habet ab herba Mercuriali, cuius ſuccus cum melle decoquitur. Vix hodie amplius interne adhibetur; niſi forte aliquos mouit nupera commendatio *ſyrupi ad longam vitam* ex hac potiſſimum herba parandi. Clyſteribus additur ad aluum expurgandam et emolliendam ab vncia vna ad tres quatuorue.

MEL ROSATVM.

Duplex hic ponitur, quorum vltimo additur prædicatum, quod ſit *ſolutiuum*. Non video, quid poſterius magis ſolutiuum reddat, præſertim quum paretur ex roſis Damaſcenis. Prudentius ARGENTORATENSES præcipiunt ſumendas roſas palli-

das seu incarnatas, vt loqui solemus : hæ enim sunt laxantes et aluum potenter soluunt. Veteres frequenti habebant vsu, addebantque electuariis et decoctis purgantibus vncias duas, tres, quatuor. Externus vsus est in gargarismis : itemque in iniectionibus mundificantibus et detergentibus : a BAGLIVO commendatur, quando vlcera a vesicatorii vsu inducta repurganda et detergenda sunt.

MEL VIOLATVM.

Flores violarum non multum inferiores sunt floribus rosarum pallidarum in virtute laxatiua : quare mel hoc cum præcedenti conuenit.

* Veteres parabant plura mella, vt *nenupharinum*, quod est anodynum et refrigerans : *mel menthæ*, quod carminatiuum : *mel passularum*, quod pectorale existimatur : sed vsu fere exciderunt.

MERCVRIVS DVLCIS.

Est ex optimis, quæ medicina habet, remediis. Non solum enim laxandi, verum quoque sanguinem omni ratione depurandi et viarum obstructarum tenuissimos meatus reserandi intentionibus satisfacit, planeque diuinum est, si recte et prudenter vtaris, remedium. Est autem medici ante omnia prouidere, ut pharmacopœus rite præparatum adhibeat. Signum dabit gustus, quem si vllo, vel minimo sapore afficiat, fugiendum esse intelligimus. Enimuero optime etiam præparatus corrumpi et ad nequitiam reuocari potest, si teratur cum salibus : quæ, si media sint, et seorsim trita, et leuiter, sine agitatione, admixta, non faciunt illico noxium, nisi accedat

dat longior mora. Quod obſeruandum eſt etiam propter puluerem quartanarium Ill. HOFFMANNI, in quem fruſtra declamat CLAVNIGIVS in *noſocomio charitatis pag.* quum ſibi tribuere debuiſſet, quod illum, longo tempore repoſitum et mora corruptum, adhibuerat. Nam ſi recens et prouide paratum dediſſet, æque laudabiles vidiſſet effectus, quos anteceſſor eius BEZOLDVS *obſerv.* 68. candido animo et calculo laudauit et notauit. Deinde illud quoque tenendum, quod vbi mercurius hic in corpore multas inuenit impuritates, ab his quaſi reſumit virulentiam, impetuoſeque, et ſæpe vſque ad conuulſiones, præſertim in teneris corpuſculis, agit. Minimus vſus eſt laxatiuus: quem ſi cupimus, adulto ſcrupulum vnum aut drachmam dimidiam præbere debemus. Sed præſtat pilulari forma exhibere eum, adiecto aliquo extracto purgante, vt panchymagogo Croll., catholico, marocoſtino, aut ſimili, et, ſi fortiori opus eſt ſtimulo, reſinam gialappæ et trochiſcorum alhandal momentum adiicere. Sanguinem vero et lympham depuraturi, glandulas et neruoſos ductus ab impacta obſtruente viſcoſitate liberaturi, vlcera ſinuoſa, calloſa, vetera, maxime vero illa a contagio venereo ortum ducentia, ſcabiem etiam fœdam, vt et pertinacem quartanam, percuraturi, ad eundem non ſine fructu confugimus. Huiusmodi autem curationibus indulgeri tempus debet: quare doſes offerimus exiguas ad duo vel tria grana, quibus iungimus abſorbens aliquod, aut antiſpaſmodico-diureticum, v. g. lumbricos terreſtres cum millepedibus. Euentus hic eſt, vt in illis, qui aperta vlcera gerunt, aliquando nulla eueniat ſaliuatio, ſed tantum per illa fluxus copioſus ſæpe fœtidiſſimæ lymphæ:

phæ: ſub quo fere ſenſibiliter calloſitates ſponte emolliuntur et ad naturalem ſtatum redeunt, decreſcente etiam fœtore et lymphæ copia: ſi vero euenit ſaliuatio, ſatis illa blanda et minime horribilis eſt. Varii generis vermes in corpore hoſpitantes expulſuri, eundem vtiliter adhibemus. Denique etiam externe illum tenuiſſime comminutum adhibemus vlceribus ſordidis repurgandis, blando ſeptico effectu, vbi modum vtendi ex chirurgiæ medicæ præceptis addiſcere par eſt. Viſa fuit ſaliuatio ab exigua quantitate cum aqua calcis viuæ vlceri iniecta. Confer *Commerc. litterar. phyſico-med. Ann. I. p.* 411. 412. vbi ſimul pulcra monita de ſaliuatione cum hoc mercurio inſtituenda, eodemque cum ſpecifico cephalico Michaelis, aut puluere millepedum coniungendo inuenies. Adde *Acta phyſico-med. Ac. N. C. vol. I. pag.* 58. vbi eadem mercurii dulcis cum puluere millepedum coniunctio ab Exc. D. D. NEBELIO laudatur.

MERCVRIVS PRAECIPITATVS ALBVS.

Potiſſimus eius eius eſt externus, inter aquas phagedænicas, quibus vlcera impura, calloſa, fiſtuloſa repurgamus et conſolidationi ſperandæ aptamus. Etiam ſcabiei malignæ et tineæ capitis ſubinde adhibetur. Deinde etiam inter illa coſmetica expetitur, quibus varorum et ſerpiginum fœditas emendatur: ſed hic debet ille teneri modus, ne aut ſæpe cuti admoueatur, aut diu ſuper illa relinquatur: quin potius poſt breue temporis interuallum abluatur. Secus qui faciunt, edentuli ſatis cito redduntur. Sunt etiam, qui probe ab omni ſalſedine liberatum interius dare non verentur, quando ſaliuationem excitare cupiunt.

At-

Atque hi ſolent ab exigua doſi incipere, tribus vel quatuor granis, vel cum mica panis, vel extracto aliquo aut terebinthina cocta in pilulas redactis: quam deinde poſt aliquot dies augent quantitatem, donec ſatis copioſus fluxus videtur. Neſcio autem, an vllam veram habeat præ mercurio dulci præro-gatiuam, quem per omnia tutiorem inuenimus, neque tamen minus efficacem.

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS RVBER.

De hoc dicenda fere poſuimus ſupra, quum de *Arcano corallino* exponeremus. Quibus adde, quod ad internum vſum aptari etiam poſſit, et optime quidem, ſi cum ſalis tartari, ad humidum aerem ſponte liquati, humore ſatis diu multumque teratur, quo omnis aciditas adhæreſcens infringatur. Deinde aqua deſtillata identidem ſuperfuſa penitus ab hoc etiam ſale liberetur. Sic ſatis mitis redditur, vt interne grana tria, quatuor, quinque, cum terebinthina cocta in pilulas redacta, ſine periculo dari poſſint.

MERCVRIVS SVBLIMATVS.

Eſt venenorum corroſiuorum acerrimum, quod in pharmacopolæ officina non alio fine aſſeruatur, quam vt vſibus chymicis et pharmaceuticis ſuppetat. Rariſſimi ſunt caſus, vbi in chirurgia aliquem vſum præſtat, aquarum phagedænicarum vires intendendi ſcopo.

MERCVRIVS VITÆ.

Nihil minus eſt quam mercurius : prouenit enim ex parte regulina antimonii, quando oleum eius glaciale, quod butyrum vocatur, affuſa multa aqua præcipitatur. Sed vt primum nomen falſiſſimum gerit, ſic cognomen a vita ſatis iniuſte vſurpat, quum multis remedium mortale et funeſtum fuerit. Satius fuerit interne illum in ſubſtantia non dediſſe, quod aliqui faciunt, grana eius duo, tria, quatuorue offerentes. Tutus eſt vſus ille, quando grana decem vini Rhenani vnciis duabus imponimus, et per aliquot horas ita ſimul ſtare permittimus, deinde vero percolatum vinum ebibendum offerimus. Idem puluis deinde multis infuſionibus emetica virtute imbuendis aptus manet, perinde vt crocus metallorum et antimonii vitrum. Vocatur etiam *puluis ALGAROTTI*, a medico VICTORIO ALGAROTTO: vide VIGANVM *in medull. chym.*

MITHRIDATIVM DAMOCRATIS.

Mithridatem, Ponti celeberrimum regem, ita corpus ſuum aduerſus venenorum vim communiuiſſe, vt, quum vitæ exitum, rebus iam omnibus deſperatis, veneno aſſumto quæreret, nullum inuenerit; id quidem a multis auctoribus ſcriptum legimus. Is ergo in reliqua ingenii magnitudine, vt auctor eſt PLINIVS *nat. hiſt. XXV.* 2. medicinæ peculiariter curioſus, et ab hominibus ſubiectis, qui fuere pars magna terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium commendationum harum et exemplaria, effectus

fectusque in arcanis suis reliquit. Pompeius autem Magnus omni regia præda potitus, transferre ea sermone Romano libertum suum Lenæum, grammaticæ artis doctissimum, iussit: vitæque ita profuit non minus, quam reip. victoria illa. Idem PLINIVS XXVIIII. 2. testatur Mithridaticam antidotum ex rebus LIV. componi: quo indicio cognoscitur nostram hanc forte veriorem esse illa, quam CORNELIVS CELSVS V. 23. posuit, quæ multo nostra est concinnior. Seruilius Damocrates, Neronis archiater, ille est, a quo hæc nostra compositio deducta est, exstatque illa apud GALENVM *de antidotis.*

Longum foret, si referre omnia, quæ de hac compositione promittuntur, deberem. Magna cum fiducia dabant ad febres quotidianas et quartanas, cocta iam materia, nucis Græcæ, h. e. amygdalæ, quantitate, accessionum initio. Temporibus grauibus, catarrhalibus constitutionibus, vbi morbi epidemii ingruunt, ad præseruationem erui magnitudine dabant. Etiam in torminibus et fluxibus alui, vomitu, colica, ipsis passionibus a calculo et arthritide, ad hanc anchoram sacram confugiebant. Vsu eius a venenis se tutos fore persuasum habebant.

Opiata est hæc antidotus, sed moderate, vt in scrupulis XIV. (ℨβ ϑij) vnicum sit granum: quanquam cogitandum est, quod fermentatione sit exaltatum, ex quo fit, vt vnica etiam drachma satis conspicuum effectum faciat. Vnde nec infantibus temere offerri debet, ipsis iam dissuadentibus veteribus. Curiosum est, quod ad menses ciendos et partum

tum promouendum a bonis auctoribus commendatur. Credo hoc facere nimios ſpaſmos deliniendo et remittendo, ex quo fit, vt negotium hoc melius ſuccedat, quam ſi ſtrictura maneat. Beato MAVR. HOFFMANNO, viro ſane magno, in vſu fuerunt *pilulæ ad dyſtokiam*, quæ nihil aliud habebant, quam theriacam cum cinnamomo et glycyrrhiza ad conſiſtentiam duriorem ſubactam: cuius ſcrupulus vnus laboranti feminæ offertur: ſuntque illæ aliquibus adhuc hodie frequenti et ſalutari vſu. Exterius tam teneræ quam adultæ ætati imponitur ventriculo vel vmbilico, vbi magna tormina excruciant.

De antiquitate *trochiſcorum Cypheos*, qui hanc compoſitionem ingrediuntur, legendus eſt PLVTARCHVS ſub finem libelli *de Iſide et Oſiride*.

MIVA CYDONIORVM.

In fluxibus alui ſatis bona eſt: ventriculum et inteſtina roborat blande adſtrictoria facultate ſua: dyſentericis etiam ſitis aliquod ſolatium affert. *Compoſita cum ſpeciebus*, ſeu *aromatica*, magis etiam eſt analeptica et roborans, iisque, qui non bene concoquunt, in primis conuenit: modo alias ambram et moſchum bene ferunt.

MIXTVRA SIMPLEX.

Medicamentum eſt laudatiſſimum, quod THEOPHRASTVM PARACELSVM auctorem habere perhibent, quanquam nomen ipſi dediſſe GRASECCIVM, medicum Argentoratenſem, in illorum *pharmacopoea pag.* 177. legitur. Tuto adhiberi poteſt in omnibus febribus malignis et acutis, quoniam

niam non ſolum diapnoen conſeruat, verum etiam impedit, ne craſis ſanguinis nimium reſoluatur. Deinde illis, qui ſubito terrore grauius perculſi ſunt, vt et iracundia vehementius percitis, vtiliſſime offertur: meminique practici, qui hanc mixturam ſyrupo quodam tinctam ſub titulo: *Alterations*-Tropfen copioſiſſime, nec exiguo lucro diuendebat. Iucundiſſime ſumitur ſyrupo fl. papau. rhoeados tincta et fruſtulo ſacchari infuſa: quamquam nec cum vino iniucunda eſt. Sunt qui illam reformidant ob camphoram additam: ſed non video quam ſit iuſtus ille metus, quum ex deſcriptione noſtri diſpenſatorii vncia integra camphoræ ſex grana complectatur, drachma nondum integrum habeat granum. Si vero paretur iuxta præſcriptum D. D. AVGVSTANORVM, vncia tantum tria habebit grana camphoræ: quod nemo poteſt iuſta cum ratione vel ſuſpectum tantum habere.

Sanis ceteroquin, ſed non bene appetentibus, ante prandium data appetitum bene excitat. Dari poſſunt guttæ XXX. ad integram vſque drachmam. Legi de magno viro relatum, quod hoc medicamentum in ſexu feminino ſuſpectum habeat. Ego vero ſancte aſſeuerare poſſum, me tenerrimi animi et corporis matronam noſſe, quæ inde a duodecim annis multas vncias eius conſumſit, nullo incommodo ſed maximo ſuo fructu: quo tempore tam longo vel in menſtruorum negotio, vel in geſtatione aut lactatione aliquid eam ſenſiſſe vero videri ſimile debet. Quumque in aliis etiam feminis, ante lectam illam admonitionem, creberrime et ſine vlla noxa dederim: me illo metu minime angi profiteor, omnesque ſecuros eſſe iubeo.

Sunt qui mixturam hanc deſtillationi ſubiiciunt, idque prolectum nomine *Mixturæ ſimplicis rectificatæ* adhibent. Sed in illud nihil dictorum quadrat: eſt enim medicamentum ſulphureum, anodyna forte virtute aliquid præſtiturum, ſed febribus haud ita bene quadrans.

Hoc quoque notandum, quod hæc mixtura ſimplex nomine *ſpiritus diatrion*, ſeu *de tribus* venire paſſim ſoleat.

MORSVLI ANALEPTICI.

Non ingratum edulium illis, qui talia amant, præbebunt. Offerendi autem ſunt iis tantum, qui odorata ferre poſſunt: ceteris dari debent ſine ambra et moſcho parati: quos etiam magna portio non valde alterabit.

MORSVLI DE CITRO PRAESERVATIVI.

Nihil eſt in pomo citrio, præter ſemen, quod hic non habeamus. Non minus gratum quam vtile condimentum erit illo tempore, quo grauis et nebuloſus aer incumbit, aut morbi hinc oriundi graſſantur. Vnciam, et amplius etiam, ſi libet, eſſe licet.

MORSVLI CONTRA ARDOREM STOMCHI.

Vulgo vocantur Amtmanns vel Ammanns-Morſellen. Neſcio an a medico Ammanno, vel a præfecto quodam nomen ſortiti ſint. Promiſſum in titulo effectum ſatis bene præſtant.

MOR-

MORSVLI CONTRA PESTEM.

Videntur imitatio electuarii de ouo, cuius pleraſque ſpecies, excepto croco, complectuntur. Experientiæ permittitur, quantum tamin peſte, quam forte ad canis etiam rabidi morſum, præſtituri ſint. Ob tantillum nucis vomicæ non ſunt extimeſcendi. Sumi poſſunt ad vnciam et vltra.

MORSVLI CONTRA VERMES.

Inuenti ſunt pro infantibus et puerulis, qui medicamenta reſpuunt, fallendis: quippe ſaccharo facile allectantur. Pro ratione ætatis doſis eſt admetienda a drachma ad drachmas duas. Nam in vncia puluerıs eſt fere drachma mercurii dulcis: qui ſatis incommode talibus medicamentis miſcetur, quoniam vix fieri poteſt, vt æqualiter per omnem maſſam diſtribuatur. Adde inferius dicenda de *trochiſcis Hermeticis*.

MORSVLI CORDIALES.

Sunt analeptici et motus ſtimulantes, illis, qui phlegmatici ac ſenes ſunt, et odores ferre poſſunt, non inutiles futuri, ſi vncia vna vel altera adſumatur.

MORSVLI DE IALAPPA.

Satis bona videtur compoſitio pro illis, qui puluerulenta non poſſunt ſine nauſea accipere. Pro adulto tres drachmæ ad vnciam dimidiam erunt iu-

ſta doſis: ex quo iudicari debet, quantum iunioribus vel omnino teneris concedendnm ſit.

MORSVLI IMPERATORIS

cum fructibus.

Delicati ſunt et ventriculo non ingrati. Expeti ſolent ab iis, qui fontium ſoteriorum aquas bibunt. Vncia vna et altera indulgeri poteſt.

MORSVLI PVRGANTES.

Baſis eſt ſcammonium cum cryſtallis tartari. Satis boni ſunt, et ad vnciam dimidiam dari poſſunt.

MORSVLI RESTAVRANTES

KVNCKELII.

Videndus omnino eſt de hiſtoria huius medicamenti, et egregio, quem præſtitit, fructu, celeberrimus auctor KVNCKELIVS *in laboratorio pag.* Drachma vna morſulorum antimonii quatuor grana continet: nihil itaque impedit, quo minus vncia dimidia præbeatur.

MORSVLI DE RHABARBARO.

Sunt blande purgantes, cholericis et ictericis proficui. Poſſunt ſex drachmæ aut vncia integra præberi.

MORSVLI E SVCCO ROSARVM.

Baſis eſt dacrydium, quod iuuaretur a ſucco roſarum, ſi loco Damaſcenarum pallidæ ſeu incar-

carnatæ, vtpote laxatiuam potentem vim habentes, assumerentur.

NITRVM ALKALISATVM.

Venit etiam nomine *nitri fixi*. Plerumque dispensatur forma humida, sub titulo liquoris nitri fixi. Viribus æquat alcalina, adeoque parum discrepat a liquamine salis tartari, quod oleum tartari per deliquium vocant. Meruit etiam nomen Alcaheſt, a GLAVBERO ipsi impositum, non dicam quo iure. Liquor etiam silicum ita dictus reuera nihil est aliud. Vtiliter interne datur, vbicunque aliquod acidum in primis viis vere peccat: v. g. quando in infantibus lac et pultes acidam, acrem indolem induerunt, in adultis acidum in ventriculo sese ructibus prodit, quod cito domat, cumque eo in sal medium absterſiuum, detergens, laxans, diureticum abit. Purgantibus quibusdam potionibus addi ab aliquibus solet. Probe diluendum est aqua. Celeberr. BOERHAAVII consilium placet, vt cum vigecupla parte aquæ mixtum, huius deinde mixti drachma vna porrigatur, vbi nulla inflammatoria, putrida, febrilis diathesis adest. Cum succo limonum mixtus hic liquor, et dum in ipso efferuescentiæ adhuc est actu, bibitus, certissimum vomitus remedium esse, experimento Riuerii, perhibetur.

Externus vsus est cosmeticus, ordesque vnctuosas poris inhærentes bene eluit: debet tamen prius aqua distemperari, vtique si personis tenerioribus adhibendum est.

NITRVM ANTIMONIATVM.

Est nitrum aliqua portione inflammabilis sui principii inter deflagrandum cum sulphure antimonii orbatum, aliquid de salis medii natura interim nactum, et tenuissimæ calcis antimonialis particeps. Vocatur aliquibus *anodynum minerale.* Vim antiphlogisticam et temperantem vtique possidet; vtiliter datur ad humorum orgasmum contemperandum: raro quidem per se; etsi drachma dimidia et amplius cum copioso vehiculo aqueo non male se gerit: plerumque additur absorbentibus aliis et antispasmodicis.

NITRVM CORALLIATVM et PERLATVM.

IO. ZWELFFERVS in *mantissa spagyrica p. m.* 863. commendat tamquam remedia præclara morborum calidorum, vbi debilitas virium coniuncta est. Pretiosum est medicamentum, non nisi diuitibus præscribendum. Præstiterit ad exemplum D. D. ARGENTORATENSIVM margaritas præparatas nitro seperatim addere. Proportionem variant etiam, et ad nitri singulas vncias, singulas drachmas margaritarum iungendas præscribunt. Dentur grana quinque, decem, ad scrupulum.

NITRVM DEPVRATVM.

Notandum est, quod multis locis sub hoc nomine veniat nitrum tabulatum: quod si tale non cupimus, addendum est in præscripta formula crystallinum

linum. Depuratione tali tunc opus est, quando nitrum nobis videtur suspectum de salis communis consortio, aut exterius accessit aliquid sordium. Quod vero bene crystallinum, purum et candidum iam est, noua depuratione non indiget.

NITRVM ROSATVM.

Multa olim insuccatorum nitrorum genera in officinis prostabant, vt cum violis, floribus papaueris rhoeados, violarum, succo scordii. Habebatur etiam nitrum essentificatum, si cum succo quodam sal essentiale habente crebrius fuerit coniunctum et crystallisando vnitum, v. g. cum succo acetosellæ. Sed hæc fere in desuetudinem abierunt. Hoc cum succo rosarum factum viscerum naturalium, vt hepatis, æstuationi, vt et faucium ac tonsillarum inflammationi exstinguendæ destinatum est: vt et dysenteriæ, etiam malignæ.

NITRVM SATVRNINVM.

Est combinatio crystallorum saturni et nitri. Quemadmodum autem sacchari saturni vsus internus admodum est circumspecte instituendus, si non omnino intermittendus: sic etiam hoc nitrum vsibus tantum externis reseruatur, vt gargarismis in magna faucium inflammatione, columellæ laxitate, epithematibus in oculorum inflammatione. In pharmacopoea Bateana commendatur interne sumendum in asthmate ad grana quinque, sex vel septem: vidi etiam præscriptum in mictu cruento admodum ferroci, *Act. phys. med. Acad. N. C. Vol. I. p.* 115.

OLEVM ABSINTHII.

Hoc, ad differentiam illius, quod ſequitur, deſtillati, in præſcribendo notandum eſt adiecta coctionis mentione. Externe adhibitum abſinthium vires exſerit paregoricas et diſcutientes: quæ etiam in hoc oleo ſunt, quod abdomini illitum flatus diſſipat, torminaque demulcet, præſertim in infantibus, quibus etiam opitulatur vermibus diuexatis. Indi quoque clyſteribus poteſt in colica.

OLEVM AMYGDALARVM.

A *mararum*, eſt reſoluens et diſcutiens. Inſtillatur auribus tinnitu et ſuſurro vexatis, pubi etiam imponitur, ſi vrina retenta incommodum facit: aſperitudini cutis emendandæ et ephelidibus tollendis commendatur, cum lilii radice et melle impoſitum. *Dulcium*, recens ex non rancidis expreſſum, interne datur ad ſtricturas dolorificas relaxandas, in pleuritide, nephritide, colica: ad aluum laxandam vel per ſe cum iuſculo, vel cum mannæ ſolutione: in raucedine et tuſſi cum ſyrupo violarum ſubactum. Parturientibus et partu recens defunctis proficuum eſt. Recens natis, ad meconium expurgandum, cum manna ſoluta ſubactum præberi poteſt. Dantur vncia vna, duæ vel tres. Externe cum liquamine ſalis tartari conquaſſatum pro abſterſione faciei manuumque recte adhibetur: enematibus quoque tutiſſime additur: quin aliqui, vbi blandiſſimos clyſteres cupiunt, ſolum hoc infundendum ſuadent.

OLEVM ANETHI.

Eſt anodynum et ſtricturarum reſolutiuum: quare a veteribus adhibebatur ad ſpinam dorſi inun-

gendam in rigoribus febrium intermittentium, vnde paroxyſmos breuiores et leuiores fieri obſeruabant. Poteſt etiam clyſteribus addi in magnis doloribus colicis et nephriticis.

OLEVM BVFONVM.

Creditur bufones, magnetis inſtar, attrahere ad ſe venenum e corpore: propterea hoc oleum admiſcetur cataplaſmatibus buboni peſtilentiali maturando deſtinatis: vide DIEMERBROECKIVM *de peſte pag.* 248. In *pharmacop. Bateana* ad puſtulas labiorum, cancrum mammarum commendatur. Hydropicis vrinam ciere promittitur, ſi renes eo inungantur. Ad puncturas venenoſas vtile eſt.

OLEVM CAMPHORÆ.

Vſum adiecerunt Auctores. Nihil præclaræ artis ineſt præparationi, iudice D. D. CASP. NEVMANNO in *prælectionibus de camph. pag.* 159.

OLEVM CAPPARVM.

Incerti quidem auctoris, ſed antiqui vſus eſt, ad hypochondria illinenda in hominibus, qui anxietatibus et inflationibus hypochondriacis crebro vexantur. Vires habet attenuantes et blande roborantes.

OLEVM CASTOREI.

Veteres duplex habent: ſimplex, quod D. D. ARGENTORATENSES retinuerunt, et com-

positum, quod hic est positum. Commendatur ad conuulsa, rigida et paralytica membra inungenda, vt et vteri inflationi emendandæ. In rigoribus febrilibus spinæ inungitur.

OLEVM CHAMÆMELINVM.

Est anodinum et antispasmodicum: GALENVS ad febrium curationem commendat; quod ex antiquissima Aegyptiorum praxi desumtum esse AETIVS comprobat. Potest etiam clysteribus vtiliter addi.

OLEVM CHEIRI.

Est resoluens et sedatiuum. Præcipue commendatur, vbi in vtero duri tumores obseruantur: idemque adhibetur inunctioni, quando menses vel fœtus mortuus pellendi sunt. Etiam hypochondriis inungi potest, vbi hepatis infarctus et durities adsunt.

OLEVM COSTINVM.

Valde neruinum existimatur: vnde MESVES illud præcipue commendat ad roborandum, et paralyticam relaxationem emendandam.

OLEVM CYDONIORVM.

Vocatur etiam *melinum*. Anodynum et adstrictiuum censetur, vnde ventriculo debilitato in vomitibus, diarrhoeisque illinitur; pectori in hæmoptysi. Clysteribus inditur, vbi intestina sunt vulnerata aut arrosa. Ad sudores quoque nimios cohibendos illitum prodesse dicitur.

OLEVM DESTILLATVM ABSINTHII.

Est stomachicum et anodinum: externe vmbilico illitum vermibus expellendis valet. Basin præbet bono elixirio stomachico et antifebrili, si in sal volatile oleosum redigatur, hocque stomachicis et aromaticis speciebus extrahendis affundatur.

Hoc autem loco positum est, vt sit exemplo plurium oleorum destillatione parandorum. De quibus singulis hic dicere longum esset: sufficiat aliqua in genere admonuisse. Vires æstimandæ sunt ex simplicibus, vnde per destillationem extrahuntur. Si cum vehiculo aqueo assumuntur, possunt in hominibus non admodum calidis et ad ebullitionem pronis guttæ tres, quatuor ad septem dari: vbi autem spiritu vini resoluitur oleum, longe magis hominem exæstuat et exagitat. Instillantur etiam saccharo: vide supra dicta ad titulum *eleosacchara*. Inuigilandum est, vt genuina olea pharmacopoeus sibi ipse paret: Dici enim non potest, quantum fraudis hic committatur, dum vel inter destillandum addi solet terebinthina: vel iam rite destillatis affunditur. A Batauis transmissa olea aromatum omnia, quotquot vllibi videre et explorare licuit, sunt adulterata olei cuiusdam expressi additione: sæpe etiam spiritus aut essentiæ aromatibus extracta admixtione: quod de oleo caryophyllorum maxime dici potest. Conferatur de genuinorum præstantia et adulterata cognoscendi et emendandi modis Ill. FRID. HOFFMANNI *obs. physico-chymic. Lib. I. Obs. 1. 2. 3. seqq.*

OLEA CVM AQVIS COMPOSITIS PRODEVNTIA.

Talia æstimanda sunt ex viribus specierum destillationi commissarum, et oleo largiendo aptarum. Melius forte esset ea aquis suis relinquere, et tempore vsus probe agitato vitro æqualiter distribuere: quam seperatim ea conseruare et diuendere.

OLEVM AVRANTIORVM et CITRI CORTICVM

Talia destillatione impetrantur longe minus grata et iucunda, quam ea sunt, quæ nobis ex Italia et Lusitania afferuntur et nomine *Essentiæ de Cedro*, *Neroli*que venduntur, purissima, leuissima, fragrantissima, quod vnicuique comparationem instituenti patebit. Verosimile est talia ex probe maturis fructibus absque destillatione, sola tantum pressione, impetrari. Ipso spiritu vini longe sunt leuiora: et elæosacchara omnium gratissima inde conficiuntur.

OLEVM DESTILLATVM BENZOINVM.

Non solum ob fragrantiam expetitur vsibus externis, verum etiam aliquando elæosaccharum additur pulueribus pectoralibus. Calidum est et exigua quantitate adhiberi debet.

OLEVM DESTILLATVM BETVLINVM.

Quibus vsibus adhibeatur, in ipso iam libro annotatum est. HIERONYMVS REVSNERVS

obser-

obſeruat. medicar. a WELSCHIO editarum XLII. coecitatem eo curatam teſtatur. Aliqua etiam innuuntur in *Commerc. litterar. phyſ. med. Ann. I. p.* 229. Poteſt, vbi Lithuanicum non ad manus eſt, ex tempore parari, quando ramum betulæ accenſum ſtanno frigido admouemus, vt fumus prodiens ibi colligatur et coeat: quem modum REVSNERVS l. c. docet. Proxime accedit ad oleum fuliginis. Odor ſimillimus eſt corio iſti bubulo, quod ex Ruſſia apportatur; videturque omnino illud hoc oleo perungi. In Marchia Brandeburgica a plebe vocatur Schwediſcher Degen.

OLEVM DESTILL. BVXI.

Multa præclara de hoc referuntur a practicis, quos magno numero adducit BART. ZORNIVS in botanologia medica, p. 149. Scilicet aduerſus febres, vertiginem, morbum caducum, hæmorrhoidum dolores, odontalgiam valere perhibetur. Videtur tamen illos auctores in animo habuiſſe oleum empyreumaticum, quod per retortam deſtillando impetratur. Et ſane neſcio annon, quæ ſubiiciuntur, *oleum Guaiaci* et *Heracleoticum* eodem parari modo ex ligno Guaiaco et corylo debeant: quorum illud ad morbum venereum, hoc ad caducum, vt et dentes dolentes, præcipue commendatur: talia etiam omnia ſunt anthelmintica, danturque hoc ſcopo guttæ quatuor aut quinque. Sed olea *L. Rhodii* et *Saſſafras* per veſicam vtique deſtillanda ſunt: quorum prius odoris elegantia conſpicuum multa balſama fragrantia ingreditur: alterum nec ipſum grato fœniculi odore deſtitutum anticatarrhale, diureticum et pectorale cenſetur.

OL. DESTILL. CALAMI AROMATICI.

Vires radicum, vnde paratur, ſtomachicas, carminatiuasque complectitur. Elæoſaccharum ſtomachicis pulueribus et trageis commode admiſcetur.

OL. DESTILL. CARYOPHYLLORVM.

Quum oleum hoc a Batauis mercatoribus vario modo mangoniſatum et corruptum accipiamus: de quo publice conqueſti ſunt Ill. FRID. HOFFMANNVS *in obſeruat. phyſico-chymicis* et D.D. CASP. NEVMANNVS *prælectionum P. II. pag.* 175. *ſeqq.* non leues ſunt cauſſæ, cur fraudulentam illis mercem relinquamus, noſtrisque vſibus ipſi genuinum paremus: quod nec ſumtus impendendos ſatis largo prouentu fruſtrabitur. Quod genuinum eſt, cum ſpiritu vini rectificatiſſimo promte miſcetur: ſicque chirurgo potiſſimum inſeruire poteſt quando ſphacelus, præſertim lentus ille ſenum a cauſa interna exortus, partem aliquam adorſus eſt, ad progreſſum illius inhibendum, ſi partibus proximis ſcarificatis imponatur, largeque infundatur: paria ſic facit longe pretioſiori cinnamomi oleo.

OLEVM DESTILL. CERAE.

Quod primum deſtillando impetratur, craſſius eſt et butyri conſiſtentiam habet, vim poſſidet anodynam, emollientem, fiſſuris cutis, vt labrorum, vt et hæmorrhoidum doloribus conuenientem: quo-

quoniam acrimonia morſicante caret. Quo ſæpius rectificatur, eo fit mollius et penetrabilius. Neruoſarum partium malis in primis conuenit, vt labiorum et papillarum in lactantibus. Pernionibus diſcutiendis maxime prodeſt : vt et tendinibus obrigeſcentibus. Conf. Celeb. BOERHAAVE in Chymia P. II. proceſſ. XXXVI. XXXVII.

OL. CORNV CERVI.

Eſt parergon ſpiritus et ſalis volatilis : de quibus ſuo loco. Hoc ſub titulo olei fœtidi repoſitum parum honoris habebat. HELMONTIVS in aurora medicina primus forte ſuaſor et auctor fuit, vt patienti rectificatione depuraretur. Poſt hunc celeberrimus D. D. DIPPELIVS, qui ſub nomine CHRISTIANI DEMOCRITI latet, commendauit *oleum animale*, in tractatu, qui inſcribitur *vitæ animalis morbus et medicina*, ad motus epilepticos ac ſpaſmodicos vincendos, febresque profligandas vtiliſſimum. Hoc ex oleo cornu cerui fœtido, ſed et ex quacunque alia parte animali, parari poteſt patienti rectificatione. Si vero compendium facere placet, rectificatio inſtituatur ex cucurbita balneo arenæ impoſita, per alembicum : aut oleo fœtido addatur calx viua. Vſum oſtendit et efficaciam propria experientia confirmat Exc. D. D. JOANN. JVNCKERVS, collega coniunctiſſimus, in diſſertatione ſua inaugurali *de medicina efficaci in morbis ſpaſmodicis*. Conf. BOERHAAVE in *chymia P. II. proceſſ. CXXI.* Dantur guttæ viginti ad triginta. Exterius illinitur ſpinæ dorſi in febrilium paroxyſmorum initiis.

Idem dicendum de oleis quorumcunque animalium, eorumque partium diuerſarum, aut ab iis productorum

ductorum, vt est sericum: quippe omnia redeunt ad eadem principia.

OLEVM DEST. FVLIGINIS.

Nescio quas speciales vires possideat. Est, teste BOERHAAVIO, fœtidum, amarissimum, nauseosum, atrum, inflammabile, fere causticum, crassum, sale oleoso permistum. *vid. chym. Part. II.* proc. 86.

OL. DESTILL. GALBANI.

Ad SENNERTVM auctorem refertur. Vsus est externus in affectibus spasmodicis, colica conuulsiua, passione hysterica, paralysi, hemiplexia, paresi, vmbilico aut partibus affectis illinendum.

OL. PETRÆ.

De vsibus eius variis exstat libellus ARIOSTI, *de oleo montis Cibini*, antea seorsim editus, deinde cum operibus RAMAZZINI recusus.

OL. DESTILL. PHILOSOPHORVM.

Apud MESVEN, RHASEN et ALBVCASIN iam exstat celebratum. Vocatur etiam *oleum de lateribus.* Est penetrantis virtutis resoluentis et attenuantis, blande etiam septicæ, quare vlceribus depurgandis commodum est.

OL. DESTILL. SAPONIS VENETI.

Tumoribus induratis resoluendis commendatur: multumque conuenit cum præcedente.

OL.

OL. DESTILL. SVCCINI.

Nulli oleo vegetabili simile deprehenditur, sed omnino proxime accedit ad petroleum. Est acre, resoluens, diaphoreticum, emmenagogum, diureticum; illitum paralytica et torpida membra sanat. Interne dari debet admodum parua dosi, quoniam valde exæstuat sanguinem. Nescio quo consilio seorsim ponatur *oleum succini albi*, quum vix notatu digna sit differentia inter oleum, quod a flauo aut albo destillatum est.

OL. DESTILL. TARTARI.

Valde est penetrans, quod inter destillandum potest obseruari, quum vix excogitari lutum possit, quod non peruadat: vnde in chirurgia magni est vsus ad tophos resoluendos. Lege BOERHAAVIVM *chem. P. II. proces. LV.*

OL. DESTILL. TEREBINTHINAE.

Quod primum prodit, tenuissimum, spiritus nomine venit: quod flauum exstillat, ab aliis olei aut balsami nomine insignitur. Prius est penetrantissimum, quod cuti instillatum mox disparet, et sanguinem nostrum subiisse calore exorto et odore vrinæ violaceo ostendit. Vsum eius chirurgicum multiplicem paucis complectitur celeberr. BOERHAAVE *Chemiæ P. II. proces. XXXV. membranis, neruis, tendinibus, laceratis, punctis, sectis, semisectis, valide infusum incomparabile anodynum, antispasticum,*

consolidans est. Arteriis venisque in magnam haemorrhagiam laesis, promtissimum, securissimum styptycum praestat, eo inprimis laudandum, quod simul nervis prospiciat, sistat putredinem, consolidetque. Oportet autem valde calidum applicare, spleniis appressis ad locum detinere. Videatur auctor Anglus, qui de hac re scripsit tractatum integrum, JACOBVS YONGE, titulo currus triumphalis e terebintho, *Londini* 1679. Interno vsu effectum diureticum in primis edit, vnde in gonorrhœa frequenter datur, a guttis decem ad viginti. Cauendum tamen ne quid nimis, quum diabeten inducere possit. Illud fere incommodum maximum gonorrhœis adfert, quod valde molestam illis per noctes satyriasin inducit aut intendit summo cum dolore, sæpeque iam præsentem inflammationem ad summum et funestum gradum deducit. Quo casu mature desistendum et ad refrigerantia humectantia veniendum est. Oleum paullo spissius per omnia mitius se gerit, et in vulneribus, vbi non sunt partes tendineo-neruea, magis conuenit. Inseruit quoque prius iniectionibus anatomicorum, vt et præparatorum asseruationi, ac denique correctori Starckeyano præparando.

OLEVM TERRAE et TERRAE FREYENWALDENSIS.

Conueniunt oleo petræ, vt et oleo succini.

OL. DESTILL. VITRIOLI.

Est concentratissimum et fortissimum acidum, quod vsibus medicis per se non facile adhibetur. Va-

riis

riis autem vſibus chymicis et pharmaceuticis inſeruit. Cum ſpiritus vini quatuor partibus dilutum egregiam præbet medicinam, in doloribus arthriticis, podagricis, calculoſis vtilem. Quid de ſpiritu ac oleo vitrioli dulcibus boni exſpectandum ſit, paſſim commemoratum legitur, et huc non pertinet.

OL. DIACOLOCYNTHIDOS.

Comparatum eſt vermibus enecandis et expellendis, vt et aluo valde duræ recludendæ, ſi vmbilicali regioni illinatur.

*OL. DIAPALMAE.

Ad emplaſtrum, quod ſupra habuimus, requiritur: quare notandum, quod apud nos illud fere omittatur, quia palmæ recentibus ſurculis caremus: ad defectum vero ſarciendum teneriores frondes quercuum cum oleo ad emplaſtrum requiſito coquantur.

OL. EVPHORBII.

Eſt inuentum MESVES, vel omnino GALENI. Vim habet epiſpaſticam et rubefacientem. Veteres calidiſſimum omnium, quæ nouerant, iudicabant, multumque ipſi tribuebant in affectibus frigidis, vt lethargo, coxæ aliorumque articulorum doloribus inueteratis, hemicrania, cephalalgia diuturna: quibus externo vſu auxiliatur. D. D. ARGENTORATENSES etiam deſtillatum ponunt, quod reſoluat humores craſſos et pituitoſos, conducatque membris paralyticis.

OL. FEBRIFVGVM.

Est medicamentum a FRIDER. DECKERO commendatum *in exercit. practicis pag.* 187. Dosin ipse præscribit a guttulis tribus ad octo in vehiculo conuenienti præbendas. *Multum*, inquit, *in febribus diuturnis præstat hoc oleum febrifugum dicto modo præparatum, in primis si exhibeatur vna cum extracto ex radicibus gentianæ et corticibus rasuraue guaiaci, &c. confecto.* Innuit his verbis illud extractum febrifugum, quod supra suo ordine adfuit: cuius drachmam dimidiam cum salis ex residuo a destillatione sp. salis ammoniaci parati granis quindecim coniungit, additisque olei huius guttis quatuor bolum concinnat, qualem duabus ante paroxysmi accessionem horis in haustulo vini calidi dissolutum exhibet.

OL. HYOSCYAMI EXPRESSVM.

Magnarum est virium ad sedandum et affluxum cohibendum. Constituit, vna cum succo hyoscyami, nobile emplastrum de hyoscyamo, quod supra vidimus. Inseruit etiam excoriationibus, quæ sæpe puerperis accidere solent. Debet autem hoc casu cum oleis lil. alborum, verbasci, ouorumque distemperari.

OL. HYPERICI.

Est vulnerarium et anthelminticum: non solum externo vsui aptum, verum aliquando internis quo-

quoque vtiliter iungi solitum, vt apparet in *balsamo pectorali* MEIBOMII.

OL. IRINVM.

Quando hic præscribitur iris nostras, intelligenda est cærulea, non paluſtris illa floribus luteis, vtpote adstringens. A MESVE commendatur tamquam potenter resoluens, attenuans et digerens, crassos humores in thorace et pulmonibus dissipans, strumas discutiens. Ab aliis hæmorrhoidibus cæcis ad fluxum redigendis commendatur.

OL. LAVRINVM.

Est neruinum et carminatiuum, ad omnes affectus frigidos proficuum. Seorsim ad lumbricos commendatur; itemque, ad horrores febrium intermittentium minuendos, spinæ dorsi illinitur. Interne rarius adhibetur. DIOSCORIDES vino veteri et oleo rosato mixtum ad aurium dolores et auditus grauitatem iubet instillare.

OL. LILIORVM ALBORVM.

Virtute resoluente et calefaciente a MESVE celebratur; a DIOSCORIDE emolliente. Adhibetur inunctionibus et clysteribus. Seorsim expetunt obstetrices vteri partibus, instante partu, emolliendis et relaxandis.

OLEVM LINI.

Præstantissimum ad familiæ et mechanicos vsus, a medicis subinde etiam expetitur. Datur interne ad vncias tres, quatuor, in pleuritide, subluxatione, dysenteria, et illis qui venena assumserunt. Videas aliquos, qui pro interno vsu ex vesica destillatum commendant, gratius vtique, sed viribus haud melius, quin in plerisque, vbi lentor ipse vsui est, deterius natiuo, sed non annoso, inuenitur. Externus vsus etiam est ad ambusta et hæmorrhoidum cæcarum dolores.

OL. LVMBRICORVM.

In doloribus spasmodicis et neruorum contractionibus expetitur. Aliqui etiam interne adhibent, vt vulnerarium insigne.

OL. LVMBRICORVM COMPOSITVM.

Magis etiam, quam præcedens, neruinum et antarthriticum est, ex resoluentibus, anodynis et neruinis compositum.

OL. MACIS EXPRESSVM.

Parum forte differet viribus ab oleo nucis moschatæ expresso, quod suo loco videbimus.

OL. MANDRAGORAE.

Est anodynum et somniferum, inflammationes coercet, et vehementes dolores lenit. Illinitur carpo, brachiorum flexuræ, plantæ pedum, temporibus. Alii magis compositum præscribunt: *vide pharmacopœam Augustanam.*

OL. MASTICHINVM.

Est roborans et subadstringens. Aduersus vomitus et alui fluxus abdomini illinitur. Neruorum quoque debilitati medetur, et tumores laxos iuuat.

OL. MENTHAE.

Est hoc per infusionem et coctionem paratum, viribus carminatiuis pollens, si ventriculi regioni illinatur.

OL. MOMORDICAE.

Infinitis laudibus prædicatur vis eius traumatica. Perhibetur etiam partum laborioſum iuuare, et fissuras mammillarum breui tempore consolidare. Clysteribus etiam carminatiuo scopo addendum præcipitur.

OL. MYRRHAE COMPOSITVM.

Est oleum destillatione parandum. Subnotatur, quod sit *magnarum virtutum contra lumbricos*

et ad vulnera. Sed hæc pollicitatio in recentiſſima editione omiſſa eſt. Experientiæ permittitur.

OL. MYRTILLORVM.

Veteres oleum myrtinum frequenti vſu habebant, ſed ex teneris myrti foliis paratum : vide DIOSCORIDEM *lib. I. cap.* 48. *et* 155. Neſcio quid intuiti noſtrates baccas præferant, quum myrtus in hortis nec rara ſit, nec magno negotio alatur. Forte plerique etiam pharmacopœi in noſtris terris adhibebunt baccas myrtilli Germanicæ, ſeu vitis Idææ nigræ. Inquirendum igitur fuerit, an noſtrum hoc oleum myrtino veterum paria faciat et laudes eas aſſequatur, quas illi tributas legimus plurimas. Adſtrictoriæ, roborantes et blande repellentes vires illius ab omnibus celebrantur.

OL. NARDINVM.

Balſamicarum, roborantium et digerentium virium haud expers eſt, et conuenit omnibus frigidis affectibus neruoſarum ac membranoſarum partium. Apud MESVEN etiam legitur OL. NARDINVM COMPOSITVM, cui plura aromata accedunt. Huius forte generis fuit vnguentum illud magni pretii, cuius ſancti Euangeliſtæ meminerunt.

OL. NICOTIANAE.

Eſt ex melioribus diſcutientibus et anodynis. Præcipue iuuat hypochondriacos, duritiem aliquam aut inflationem moleſtam percipientes. Scabioſis etiam prodeſt et ambuſtis conuenit.

OL.

OL. NVCVM IVGLANDIVM.

Surrogari potest oleo amygdalarum dulcium aut oliuarum, tam internis quam externis vsibus; modo non sit vetustate corruptum.

OL. NVCIS MOSCHATAE EXPRESSVM.

Magna copia ad nos ex India adfertur. Non destituitur viribus anodynis et roborantibus, vnde infantibus et pueris, quos tormina alui eiulare faciunt, vtilissime imponitur vmbilico aut præcordiis. Etiam adultis prodest, quando vomitibus et alui fluxibus vexantur. Intendi eius vires solent additis oleis destillatis, vt fit in *balsamo Scherzeri*, quem supra vidimus. Aliis etiam balsamis pro corpore, vt loquuntur, inseruit, ad quorum aliquos expetitur prius odore suo priuatum.

OL. NYMPHAEAE.

Multum apud Arabes celebratur vi refrigerante et anodyna ac somnum conciliante, itemque tentiginem veneream imminuente. Adhibetur parando *vnguento cordiali de nymphæa.*

OL. OVORVM.

Impetiginem, serpiginem, aliaque cutis vitia, fissuras item papillarum et labiorum sanat, ambustis

etiam confert, et doloribus hæmorrhoidum cæcarum. Cum oleo hyperici ac pauxillo balſami Peruuiami teneſmum blande ac cito compeſcit.

OL. PAPAVERIS.

Multis Germaniæ locis ad culinæ vſus copioſe adhibetur. Medici ad capitis dolores leniendos et ſomnum inuitandum aliquid inde promittunt, quod certe non facile erit nimium.

OL. DE PIPERIBVS.

Eſt aliquantum rubefaciens et reſoluens, affectibus frigidis omnibus ab antiquitate deſtinatum, vt paralyſi, ſpaſmo, tremoribus membrorum, iſchiatico dolori.

OL. POPVLEVM.

Antiquis etiam valde celebratum eſt ad dolores leniendos. Stricturas partium membranoſarum emolliendo relaxat, ſicque paregoricum fructum affert. Sed magis in vſu eſt vnguentum populeum, quod ſuo loco obueniet.

OL. RANARVM.

Eſt quoque antiquum, et perhibetur refrigerare et arthriticos dolores mitigare, quanquam Manardus ingenue fatetur, numquam ſe inde auxilium vidiſſe præſentaneum: quia tamen abſque periculo inungitur, ferri æquo animo poteſt, donec ſub hoc ex-

exſpectationis remedio tempus finiendorum dolorum accedat.

OL. ROSARVM.

Vſus eſt antiquiſſimi. CORN. CELSVS ſæpe abſolute vocat *roſam*. Modice adſtringendo roborat et ambuſta iuuat. Diuerſa vnguenta ingreditur.

OL. RVTAE.

Carminatiua virtute celebratur, ſiue abdomini inungas, ſiue clyſteribus immiſceas.

OL. SAMBVCI E FLORIBVS.

Diſcutiendi modicas vires cum anodynis iunctas poſſidet, quare a quibusdam ad arthriticos dolores conſolandos adhiberi ſolet. Aliud *ſambuci oleum ex arillis* preſſum paſſim commendatur, quod ſpecifica virtute illos iuuet, qui poculum amoris incauti hauſerunt, vomitum ſcilicet prouocando. Sunt qui illud cum rhabarbaro exprimendum aut per ſe expreſſum illi infundendum præcipiunt, indeque præclaram opem dyſentericis pollicentur.

OL. SCORPIONVM.

Antiqui, præeunte MESVE, parant cum oleo amygdalarum amararum: ſed iam diu aliquibus magis placet oleum antiquum. Calculi dolores ſedare, prodituros expellere, vrinam detentam expedire, ſi lumbis, pubi, perinæo illinatur, aut in vrethram iniiciatur, ab eodem auctore perhibitum video.

deo. Pridem cœptum eſt hoc oleum, additis aliis, efficacius reddere, paſſimque in vſu eſt *compoſitum MATTHIOLI*, de quo non ſolum ſuperius indicata promittuntur, verum etiam quod ictibus venenatorum animalium mirifice opituletur, et peſtilentiæ reſiſtat, ſi quis eo inunctus inter infectos verſetur. Quin tanta eſt fiducia, vt aduerſus venena etiam intus aſſumta valere a multis confirmetur, idque ad ſuperficiem euocando corpus tandem ab omni noxa liberare. Eiusdem cenſus puto olea rubetarum, bufonum, lacertarum: ſaltem videas ab aliquibus haud minora de illis promitti.

OLEVM SEPTEM FLORVM MYNSICHTI.

Magnis laudibus effertur ab auctore in *armament. med. chym.* p. m. 466. Eſt anodynum, carminatiuum et blande reſoluens, adeoque inunctioni commodum eſt, et clyſteribus conuenit tam ano quam matrici iniiciendis.

OLEVM SESAMINVM.

Vero oleo ſeſamino caremus, quod natura calidioribus Italiæ partibus et Aegypto tribuit, vnde olim ad Venetos ferebatur, hincque ab aliis petebatur. Apud nos ſubſtituitur oleum myagri ſatiui, quod paſſim ample colitur, etiam culinæ quam officinæ ſatis bene quadrat. Facit emolliendo paria oleo lini.

OLEVM STOMACHICVM CRATONIS.

Doloribus et infirmitati ventriculi a cauſſa frigida egregie ſuccurrit. Vſus eſt externus.

OLEVM

OLEVM SVLPHVRIS PER CAMPANAM.

Quantis difficultatibus prematur præſcriptus modus, legi poteſt *in prælectionibus* Exc. D.D. CASPARI NEVMANNI *pag.* 242. *ſeqq.* Subſtituitur, et recte omnino, ſpiritus vitrioli, quum acidum ſulphuris et vitrioli ſpecie vnum idemque ſint. Vſum itaque exponemus, quum nos ordo ad illum deducet.

OL. VERBASCI FLORVM.

Eſt anodynum. Inungitur arthriticis, itemque hæmorrhoidibus dolentibus. Additur clyſteribus inteſtino aut matrici infundendis.

OLEVM VIOLARVM.

Veteres huic tribuebant inſignem virtutem refrigerandi in quacunque intemperie ſine materia. Fere miſcebant pauco aceto, ſucco lactucæ, ſantalo et ceræ, ſicque cogebant in conſiſtentiam vnguenti. A recentioribus magnopere laudatur ad dolorem hæmorrhoidum altius infixum, iubentque per ſyringam tepidum iniicere.

OLEVM VVLPINVM.

Decoctionem vulpis pro fotu et balneo adhiberi podagricis et contractura laborantibus, itemque illis, quibus articuli rigidi poſt fracturam euaſerunt, iam antiquum eſt, et tam Græcis quam Arabibus cognitum. Hinc forte primum cogitarunt

de

de oleo hoc parando, quod ad omnes articulorum et neruorum affectus frigidos maximopere commendatum videmus.

OXYMELI SIMPLEX.

Latini *acetum mulſum* dicunt, quod Græci ὀξύμελι. Deſtinatum eſt craſſis humoribus incidendis et ad exitum præparandis, quare iſchiaticis et comitiali morbo laborantibus commendat DIOSCORIDES *lib. V. c.* 21. Eadem mens eſt MESVES, qui inſuper laudat ad febres diuturnas. Datur ab vncia vna ad tres, diluiturque decoctis vel aquis conuenientibus, aut ſero lactis. Poteſt etiam ad os colluendum et gargariſandum, Hippocratis exemplo, adhiberi.

OXYMELI COMPOSITVM.

Vocatur etiam *Oxymeli de radicibus.* Parum differt a ſyrupo de quinque radicibus, niſi quod in hoc acetum ab aliquibus plane omittitur et loco mellis ſaccharum adhibetur. Vbi ſimplex diu adhibitum fruſtra fuerat, hoc ſubiungebant quinque radicum aperientium viribus magis validum. Doſis et vſus conueniunt priori.

OXYMELI SCILLITICVM

SIMPLEX.

Vires patebunt ex ſupra dictis, quum ſermo eſſet de aceto ſcillino. Sed accedens mel gratiam parat liquori amaro et acido, ſimulque virtute ſua reſoluente et digerente efficacius reddit ad humores lentos tenacesque incidendos. Conuenit in oppletione

tione pectoris suffocatiua, tam infantum quam proiectæ ætatis. Datur ab dimidio vnciæ ad integram, quin duas: sed maiori dosi vomitum prouocat.

OXYMELI SCILLITICVM COMPOSITVM.

Est plantis quibusdam cephalicis et succo bryoniæ auctum sicque capiti et vtero quasi proprium redditum. Epilepsiæ, vertigini, cephalææ, hemicraniæ, omnique affectui ab infarctu vel obstructione pendenti sanando commendatur. Dosis eadem. Continuato vsu in quibusdam opus est.

OXYSACCHARVM SIMPLEX ET COMPOSITVM.

Ab oxymelite simplice et composito hoc vno differunt, quod mellis loco saccharum accedit, et in composito herbæ capillares adiiciuntur. Aliqua vetera dispensatoria loco aceti succum granatorum acidorum accipiunt solum, pro quo in nostro simul hic succus cum aceto præcipitur accipiendus.

OXYSACCHARVM SCILLITICVM.

Eodem modo, qui iam expositus est, differt ab oxymelite scillitico: quod sane perparum refert.

PASSVLÆ LAXATIVÆ.

Delicatioribus et qui medicamenta vel nauseant vel non facile ferunt, vt grauidis ac puerperis, infan-

infantibus quoque offeruntur ad aluum clauſam blande reſerandam. Præbentur cochlearia duo vel tria, quibus nondum ſatis facientibus, pergitur aſſumendo, donec effectum optatum conſequuti ſumus. Aliqui eodem ſcopo parant

*PASSVLAS RHABARBARINAS.

Paſſulas minores non multæ aquæ tamdiu incoquendo, donec paſſulæ crepent. Addunt deinde aliquid ſacchari, vt brodium ſyrupi inſtar ſpiſſum fiat. Deinde ab igne remotis intermiſcent puluerem radicis rhabarbari. Vſus idem eſt. Si valentiores cupis, potes iam ſatis decoctarum ius quam feruidiſſimum infundere foliis ſennæ et per horam tepido loco macerare, deinde ab his ſeparatum brodium paſſulis iterum affundere, ſicque demum rhabarbari puluerem admiſcere. Si duas vncias paſſularum acceperis, rhabarbari iuſtum pondus erit drachma vna, ſennæ drachmæ duæ.

PASTILLI PRO FVMO.

Vſum titulus oſtendit.

PHILONIVM ROMANVM.

Nomen Φιλωνειον eſt ab antiquo medico Aſclepiadeæ gentis, cui nomen PHILON, quique patria Tarſus fuit, cuius deſcriptionem metricam, prorſus ænigmaticam, ponit et exponit GALENVS *de comp. medic. ſec. locos Libr. IX. cap. IV.* Eſt autem noſtra deſcriptio auctior illa, quam auctor prodidit: idque

idque ſua iam ætate ita obtinuiſſe Galenus addocet. Differunt etiam pondera. Eſt medicamentum ſatis large opiatum, quippe drachma vnica continet opii duo grana: quanquam ab euphorbio et pipere, aliisque acribus, vis eius nimia coercetur. Veteres ipſi multum tribuebant primamque hanc habebant inter ſuas compoſitiones anodynas et colicas. Deſtinabant tuſſi vehementi et periculum rumpendorum pulmonum oſtendenti, vino mulſo dilutum; ſanguinis ſputo cum ſucco polygoni aut plantaginis. Vidi in colica pertinaci cum ſpiritu aniſi datum illico profuiſſe. Doſis eſt ſcrupulus vnus ad drachmam ſemis.

PHILONIVM PERSICVM.

Eſt alia interpolatio vetuſti Philonii a Perſis ad Arabes transmiſſa. Laudat eam et commendat MESVE *de egritud. pectoris cap. VI.* prope finem ſequentibus verbis: *vehementis virtutis eſt ad manationem ſanguinis vndecunque, et ſcreatum eius cum tuſſi et ſine tuſſi, et ad menſtrua nimium ac cum dolore fluentia, ad hæmorrhoides aliosque fluxus ſanguineos. Prodeſt etiam mulieribus prægnantibus, quibus menſtrua erumpunt et abortus imminet.* Doſin præſcribit a media drachma ad integram. Vehiculum commendat ſuccum plantaginis, aliis vinum. Male conſulunt quicunque euphorbium demere iubent, quum ſit opii corrector. Si mei res fieret arbitrii, augerem eius pondus. Ceterum tam de hoc, quam præcedente, proba eſt admonitio GALENI, quæ ad omnia opiata eiuſdem formæ pertinet, non tutas eſſe nimium recentes, nec adhibendas ante, quam ſemeſtrem ætatem conſequantur.

PILVLÆ DE AGARICO.

Sunt MESVES, qui promittit eas thoracem purgare a pituita crassa et putri, ob id antiquæ tussi et asthmati conuenire. Dandas præcipit ad drachmas duas, quæ satis est magna portio, complectiturque colocynthidis grana XII. agarici grana XVIII. turbith gr. XXX. Ex quo apparet satis efficacem fore drachmam vnam ad fortem etiam purgationem, quin nec mediam drachmam aut duos scrupulos effectu purgante carituros.

PIL. ABSORBENTES.

Absorbentem virtutem debent matri perlarum, virtutem autem diureticam, diaphoreticam et resoluentem extracto vincetoxici; vnde non male adhibentur in affectibus catarrhalibus et rheumaticis. Dari possunt ad drachmam dimidiam.

PIL. AGGREGATIVÆ

MAIORES.

Sunt itidem MESVES, qui se inuentorem profitetur, rationemque denominationis tradit, *quia inuamenta multa aggregant*, quod idem est ac si dixisset *polychrestas*. Commendat eas ad multos affectus capitis, ventriculi, hepatis: purgant enim ex his et sensoriis organis pituitam et bilem vtramque: quapropter febribus antiquis, complexis et inuicem complicatis commodant. In primis has adhibebant veteres purgationibus vernalibus. Dosin auctor præscribit drachmam vnam et amplius. Maiores has dixit, quia etiam in vsu habuit minores, quæ non

amplius

amplius apud nos frequentantur, vt et ipsæ hæ maiores locum cesserunt tot aliis pilulis polychrestis, quas magnorum virorum nomen et auctoritas præsenti sæculo commendat, donec et ipsæ aliis eadem via lucrum captaturis et fidem inuenturis locum faciant.

PIL. DE ALOE LOTA.

Parum differunt a pilulis mastichinis, quæ infra occurrent.

PIL. DE ALOE ET MASTICHE.

Etiam parum a mastichinis diuersæ sunt, et vsu cum illis conueniunt.

PIL. DE ALOE ROSATA.

Quum veterès aloen magna quantitate darè solerent, indeque hæmorrhoides moueri intelligerent, iecoris nimia exsiccatione hoc fieri autumantes, aloen succo rosarum aliquoties imbuerunt, desiccantem eius vim ita se correcturos rati; Non mala aut magnopere reprehendenda est hæc præparatio, qua pars aloes gummosa augetur, resinosæque interponuntur plures aqua solubiles particulæ. Possumus itaque his pilulis aut earum massa vti, modesta dosi, vbicunque aloen veteres commendarunt. Ad pauca grana ante coenam vel in coena sumtæ aluum restitantem officii admonent sine turbatione aut incommodo, et ventriculum roborant.

PILVLÆ ALOEPHANGINÆ.

Vocantur etiam aromaticæ, quia optima aromata ingrediuntur. MESVE se inuentorem profitetur, deque illis prædicat, quod ventriculum, cerebrum et sensoria organa ab humoribus crassis, putridis et pituitosis purgent, inde natum dolorem dissipent, ventriculum roborent, coctionem eius iuuent. Dandas præcipit drachmas duas et plures. Nostro tuo haud facile quisquam tantam dosin deuorabit: quin nec opus est, quum scrupulus vnus aut drachma media sufficiant.

PILVLÆ DE AMMONIACO.

Sunt IOS. QVERCETANI inuentum, qui in *pharmacop. dogm. restit. p. m.* 301. eas descripsit, non obscure significans, quod a LAZARO RIVERIO eas acceperit. Gummi, a quo nomen impositum gerunt, nimis impar est tantæ quantitati aloes. Potissimum itaque censeri debent ex aloe, quæ omnia cetera, ex quibus constant, duplo et maiori pondere excedit. De vsu ample monet laudatus Quercetanus.

PILVLÆ ANGELICÆ.

Pulchrum nomen tuentur blanda, quam peragunt, operatione. Habent aloen multis succis interpolatam, cui parum rhabarbari et agarici accedit. Dari possunt a scrupulo vno et vltra. Quin ex prisco aloen adhibendi more vltra quatuor drachmas liceret progredi, si palata nostri sæculi talibus ferculis non indigna-

gnarentur. Confer dicenda ad *pilulas Francofurtenſes.*

PILVLÆ ANTIMONIALES.

Ex quo vſus antimonii crudi iterum innotuit noſtro ſæculo, cogitatum eſt de modis illud vel celandi, vel commodius deglutiendi. Vnum eorum vidimus inter morſulos. Hic iam alter eſt, quo ſucco glycyrrhizæ ſubigitur. Datur ſcrupulus et amplius. Aliqui antimonium crudum cum ſale communi prius fundunt in regulum ſatis improprie dictum, eumque tenuiſſime comminutum ſucco vel huic vel aliis additis permiſcent. Dant in morbis lymphaticis, quos per transſpirationem inſenſibilem curari poſſe ſperant.

PILVLÆ APERIENTES D. D. STAHLII.

Sunt obſtructæ aluo referandæ idoneæ, ſi grana pauca, duo vel tria, in cœna deglutiantur. Increbro vtentibus gratiam facile amittunt; vidique virum, qui eo vſque deuenerat, vt alui laxæ beneficium, quod dicta doſi prius redemerat, nunc quindecim granis vix conſequeretur, vt tandem omnino mutare cogeretur remedium, eique deſuescere.

PILVLÆ AVREÆ.

A præſtantiſſima virtute hoc nomen conſequutæ ſunt apud veteres; quippe, MASSARIA teſte, purgationis facilitate, efficacia, præſtantia ceteris omnibus videntur præſtare. Baſin dicas colocynthidem, cui aloe et ſcammonium, vt et crocus, pro corre-

ctione ſeruiunt. Veteres, vt ſolebant magnas doſes amare, a duobus ad quatuor ſcrupulos exhibebant: noſtro æuo abunde magna doſis videbitur drachma dimidia aut omnino ſcrupulus.

PIL. CATARRHALES.

Sunt purgantes tunc idoneæ, quando cephalalgiis a dolore dentium, ſuſurro aurium ſine febrili conſpicua diatheſi laboramus: itemque in faucium pituitoſa inflatione. Doſis eſt ſcrupulus vnus aut drachma media.

PIL. CEPHALICÆ.

Videntur tam hæ pilulæ, quam præcedentes ex magiſtrali quadam præſcriptione originem traxiſſe, et quum multis bene ceſſiſſet vſus, officinales inde fuiſſe redditæ. Conducunt prædictis capitis affectibus, vbicunque per fortem euacuationem chronice decumbens materia per inferiora excludi et proſcribi deſiderat. Doſis eadem.

PIL. COCHIÆ RHASIS.

RHASES *ad Almanſorem lib. IX. cap. de cephalæa et hemicrania* illas deſcribit, vnde etiam nomen habent *cephalicæ*. Τὰ κοκκία Græcis ſunt pilulæ, ſicque apud ALEXANDR. TRALLIANVM non ſemel occurrit. Idem ſonat *cocchia* ex Italorum more pronunciandum. Omnino videtur RHASES hic reſpexiſſe laudati Alexandri Tralliani κόκκους τοὺς διὰ κολοκυνθίδος, i. e. pilulas diacolocynthidos, quas deſcribit libro I. agens *de hemicrania p. m.* 14 quas, a

minori

minori et refracta dosi incipiendo et ad perfectam progrediendo, datas testatur causam hemicraniæ et omnis diuturni capitis dolores ex profundo attrahere et radicitus euellere, mederi etiam aliis diuturnis affectibus, vt arthriticis, ischiadicis. RHASES dosin ingentem præscribit vltra duas drachmas; sed nostro æuo vix quisquam vltra drachmam dimidiam dederit, plerique in scrupulo subsistent. Fere solent practici paullo vetustiores pilularum aurearum p. II, cocchiarum p. I. miscere, et ad capitis diuturnos affectus præbere: quales sunt, quæ antecedunt, cephalicæ. Cum officinæ nostræ careant hiera diacolocynthidos, possunt hæ pilulæ in locum eius surrogari, quando opus est clystere acri. Drachmæ duæ habent scrupulum colocynthidis.

PIL. DE CYNOGLOSSO.

Hæ quoque pilulæ, non integræ quidem, sed quoad basin suam, iam in vsu fuerunt ALEXANDRO TRALLIANO *lib. V. cap. de tussi, p. m. 79.* Efformat autem non in pilulas, sed trochiscos, quos commendat tussientibus, hæmoptysi laborantibus, dentes dolentibus, stranguria affectis, colicis. Veteres pro dosi dabant gr. V. ad VII. cubitum ituris, quæ portio nondum integrumi granum opii complectitur. FR. de le BOE SYLVIVS ad quatuor grana singulis bihoriis præbebat vetulæ mictione dolorifica laboranti. Nostro æuo parcius dantur nec sine conspicuo tamen fructu, præeunte D. D. STAHLIO, qui fere pulueribus nitrosis vnicum tantum pro dosi granum miscet in mitiganda tussi aliisque efferatis motibus, vt et hæ-

moptysi. Cynogloſſæ vires non ſoporiferas eſſe, egregie tamen defluxiones calidas, acres, tenues, catarrhoſas, indeque exortam tuſſim demulcere et iuuare teſtatur TH. FVLLERVS *in pharmac. extemp.* titulo: *Syrupus e cynogloſſo.*

PIL. FOETIDÆ MAIORES.

Fœtidæ dicuntur, quia graueolentia multa ingrediuntur. Alii vocant arthriticas, aut corrupto nomine arteticas. MESVE auctor eas commendat vacuandæ pituitæ craſſæ, corrigendisque et curandis inde natis morbis, arthritidi, podagræ aliisque iunctarum affectionibus, iteraque ſcabiei, lepræ, vlceribus diuturnis. Colocynthis baſin præbet, quæ optimo conſilio iuncta habet gummi ammoniacum, opopanacem et ſagapenum, vt et aloen. Doſin ſummam veteres præſcribebant drachmas duas, tolerabilem dr. I. Syluius in febre quartana præſcribit ſcrupulum vnum. Maiores vocantur, quia etiam minores a MESVE ponuntur, quæ apud noſtrates in vſu eſſe deſierunt.

PIL. FRANCOFVRTENSES.

Dum ignoratur compoſitio, medicus in tanta aliorum copia ſecure illis abſtinet, omnibusque ſimilioribus arcanis. Sed forte parum diſtant ab illis, quas ſupra vidimus, titulo *angelicarum* inſignitas. Certe *Francofurtenſes* et *angelicas Beieri* pro iiſdem habet FR. SYLVIVS *oper. p. m.* 96. §. 31.

PIL. BEROLINO-FRANCOFVRTENSES.

Est aloe bonis succis parte sua gummosa auctior. Censeri debent ex aloes viribus. Ventriculo segni aluoque tardanti bene subueniunt, si scrupulus dimidius vel integer in cœna assumatur.

PIL. GVMMOSAE ALTERANTES FR. SYLVII.

Proponuntur a celeberrimo auctore his prorsus similes *prax. lib. I. cap.* 34. §. 102. ad pituitosos lentos succos incidendos ac corrigendos. Ex septem scrupulis parare iubet in vniuersum XL. pilulas, harumque tres aut quinque omni tempore, ac præsertim mane stomacho vacuo, aut vesperi vna hora post cœnam, aut vtroque tempore assumere, quo humores successiue corrigant.

PIL. GVMMOSAE EVACVANTES FR. SYLVII.

Duobus locis in Sylviano opere reperi harum pilularum similes. Consilium est crassos humores per illas incidere et deinde euacuare. Eam mentem aperte prodit *Praxeos lib. II. cap. VIII.* §. 9. Harum, inquit, accipiat æger alternis diebus, vna vel altera post cœnam modicam hora, tres, quatuor vel quinque, vt sequenti die mane semel inde aluum deponat. Satius enim et tutius est per epicrasin corrigere et simul minuere caussam morbificam, quam vehementer ipsam agitando ægrum in grauioris mali pe-

ticulum coniicere. Notandum autem Syluium ex granis quatuor vnicam tantum pilulam efformare.

Propius ad noſtram deſcriptionem accedit illa, quæ in appendice inter remedia Syluiana comparet, ſub titulo *pilulæ ad ciendos menſes*, in qua ſunt reſina iallappæ cum ſcammonio; ſed et inſuper aloe in iis ponitur, quam noſtra deſcriptio omittit.

PIL. HIERAE CVM AGARICO.

Sunt ſatis mites pilulæ ad purgationem mediocrem aptatæ, tuncque præcipue conueniunt, quando pectus a materia craſſa et tenaci liberandum videtur. Dimidiam partem facit aloe. Dantur ſcrupulus vel drachma dimidia. Veteres altius adſcendiſſe in doſi ſæpius iam licuit notare.

PIL. LVCIS MAIORES.

Vocantur etiam opticæ, quia ſunt acuendo viſui deſtinatæ, quo fine in reliqua ſatis incondita farragine ingredientium puluis euphraſiæ aliquanto maiore pondere ponitur. Non ſunt admodum vehementes, et dimidiam partem etiam hic facit aloe. Solent plerumque exſtimulari cochiis. Per ſe dantur drachmæ II. aut III. monente auctore MESVE, qui inculcat ſumtis his pilulis a cibo abſtinere neceſſe eſſe. Maiores vocantur, quia olim etiam frequentabantur minores, quæ vſu exciderunt.

PIL. MAROCOSTINAE.

Vide quæ diximus de extracto Marocoſtino: nam ex hoc formantut.

PIL.

PIL. MASTICHINAE.

Alii PETRO de ABANO tribuunt, alii FRANC. de PEDEMONTIVM, vtrique ſupplementorum in Meſuen auctori. Exſtant autem in libro huius poſterioris *de ægritud. ſtomachi cap. XIX.* circa finem, promittiturque de ipſis, *quod præſeruent ſtomachum ab omni læſione intrinſeca, nec permittant humores putreſierri in eo, immo abſtergant et mundificent rugas et parietes.* Deinde etiam oculis mirifice commendantur, vt et matrici. Sæpe vſuri ſumant, quando dormitum eunt, pilulas duas vel tres maioris moduli: alias ad XV. XXV. conceduntur. Harum non niſi variationes ſunt, quas ſupra vidimus, *pilulæ de aloe lotæ* et *de aloe et maſtiche.*

PIL. MERCVRIALES.

Frequenti vſu ſunt, quando in morbis a lymphæ impuritate oriundis purgare aut lumbricos exturbare cupimus. Datur ſcrupulus vnus ad drachmam mediam.

PIL. PESTILENTIALES AVICENNAE.

Sunt ab AVICENNA et RHASE propoſitæ ac laudatæ ad præſeruationem a peſtilentia. Vocantur a multis *pilulæ communes*, itemque *pilulæ ſine cuſtodia.* FRANCISC. ALEXANDER ſub Ruffi nomine has exhibet. Quantum ad peſtilentiam auertendam vere faciant, ſi primo morbi initio, ex præſcripto, dentur, in medio relinquo. Ad aluum expediendam, vt et menſes promouendos, lochiaque reſti-

reſtitantia iterum prouocanda, vtiliter a practicis quibuſdam dari ad ſcrupulum vnum noui. Aliqui has cum illis de ſtyrace æquali pondere iunctas vtiliter præbent illis, qui catarrhalibus moleſtiis, tuſſi, coryza vexantur: quanquam alii hoc ſcopo rectius aloephanginas eligunt, quas ſtyracinis addant.

PIL. PESTILENTIALES RVFFI.

A PAVLO AEGINETA nobis transmiſſæ ſunt. Vſum antiloemicum in medio relinquo. De reliquo ad aluum blande reſerandam et lochia ſuppreſſa, ſicut priores, locum habebunt. Vſum odontalgicum docet HAGEDORNIVS in *Miſc. Acad. N. C. Dec. II A. VI. pag.* 307. Scilicet particula maſſæ in aceto vini ſoluitur, et cum goſſypio denti dolenti applicatur.

PIL. POLYCHRESTAE.

NOmen ac commendationem primam a BECHERO nactæ, noſtro æuo præcipue in Germania frequentantur, vbi non pauci ſuæ inter arcana habendæ compoſitioni famam ac fidem ſibi lucroſam compararunt. Tres hic exſtant ſub hoc titulo præſcriptiones. Harum media plane nihil ſimile habet Becherianarum. Sunt pilulæ mere cathartícæ ex reſina ialappæ cum ſatis magno ſtimulo colocynthiaco, vt ad ſeriam purgationem grana X. ſufficere poſſint. Auctoris tamen intentio videtur fuiſſe, vt aluum tantum leuiter exſtimulent, vt patet ex ſubiuncta admonitione, vnicam pilulam poſt cœnam modicam, alteram mane eſſe capiendam.

Prima

Prima autem descriptio ad indolem Becherianatum aliquanto propius accedit, quanquam dubium videri potest, an is flores sulphuris addiderit.

In tertia farrago extractorum displicet, consultiusque omitterentur illa ex agrimonia, ruta muraria, millefolio, gentiana rubra et lumbricis terrestribus. Nec scio, annon piaculum sit pilulas lenissimas et continuato vsui in sensibilissimis subiectis, vt grauidis et puerperis, destinatas ellebori nigri extracto corrumpere. Sed forte erronea persuasio de magno hæmorrhoidalis fluxus beneficio, quem tales pilulæ adducere perhibentur, addendi illius caussa fuit. De vsu nihil addo, quum et BECHERVS in psychosophia satis ample eum doceat, et illum sequuti singularibus scriptis multiplices vtilitates, adhibendique modum, accurate ostenderint.

PIL. SINE QVIBVS ESSE NOLO.

Sunt NICOLAI, qui nomen illis imposuit ob magnam efficaciam et virtutem purgandi. Bonum esset, si promissum implerent, et proprie valerent ad cataractas, obscuritatem oculorum demerent, visum custodirent, aurium dolores sanarent et ileosis mirifice conferrent. Basin constituit colocynthis, cuius grana XII. in vna drachma continentur.

PIL. SPLENETICAE.

Sapiunt genium Mynsichtianum, videnturque concinnatæ ad exemplum earum, quas sub simili titulo exhibet *armamentarii* p. m. 149. Essent satis bonæ, si extractum fol. scenæ abesset, a quo nihil bonæ

næ frugis impetratur. Dari possunt a scrupulo vno ad drachmæ dimidium.

PIL. D. STARKEY POLY-CHRESTAE.

Vere dicitur excellens et polychrestum medicamentum in blande secureque componendis turbis œconomiæ vitalis, si in tempore obtuleris. Vidi homines a multis annis, quauis hyeme appetente, grauibus catarrhalibus molestiis correptos, nec ante ver adultum liberatos, quibus in principio recurrentis morbi hæc medicina oblata immunitatem totius hyemis parauit. Nec minus spectaui in rheumaticis, colicis, quartanariis, aliisque febribus laborantibus, quod spem superauit.

In descriptione data non placet, quod alcali per lixiuium calcis viuæ acuitur. Paraturus adde celeberrimum D. D. BOERHAAVE *in chemia P. II. processu LXXIV.* (editionis spuriæ *proceſſ. LXVII.* vbi aliqua proba leguntur, quæ in genuina omittuntur.) In pharmacopœa Bateana dosis præscribitur a scrupulo dimidio ad integram: quamquam ibi non tam GEORGII STARCKEY pilulæ leguntur, quam empirici Angli MATTHAEI. Ego vero numquam vsus sum tanta dosi, sed mihi granum vnum vel alterum semper satisfecit. Nec auderem tam alte adscendere, metu iusto ne eueniat quod laudatus BOERHAAVE scribit: *si sumitur paullo imprudentius, excitat morbum perfecte gonorrhœæ similem: hinc cum prudentia vtaris, cum sit medicamentum calidissimum: vbi vero magna vi opus est, multa aqua superassumta bene agit.*

Vires

Vires harum pilularum ab opio potissimum pendent, quod non solum ab addito purgante corrigitur, verum ipsum etiam vna cum purgante valde debilitatur. Quare si quis his pilulis, ob tædiosam correctoris præparationem, destituatur, concinnare sibi facile poterit ex opio cum purgantibus, vt resina scammonii, ialappæue, debita proportione iunctis, quibus consulto addentur aliqua extracta, magis vt distractæ et disiunctæ particulæ opiatæ minus ventriculo inhæreſcant.

PIL. STOMACHALES D. D. STAHLII.

Absorbendo, diapnoen promouendo et roborando bene agunt. Dari potest scrupulus vnus ad drachmam dimidiam.

PIL. DE STYRACE.

Sunt valde opiatæ, et in scrupulo vno duo grana opii continentur, quare vltra dimidium scrupulum progredi non licet. Vtiliter miscentur aliis pilulis purgantibus, vt aloephanginis, aureis, cochiis: sicque fiunt imitamentum Starckeyanarum, ad tussim aliasque molestias catarrhales vtilissimum.

PIL. DE SVCCINO CRATONIS.

Exiguo succini additamento differunt a pilulis mastichinis. Sunt satis blande laxantes. Commendantur in affectibus capitis catarrhalibus. Datur scrupulus vnus aut drachma dimidia.

PIL.

PIL. DE TARTARO QVERCETANI.

Ample eas describit et de vsu disserit auctor *pharmacop. dogmat. restitut.* p. m. 297. Melanagogas potissimum eas perhibet, adeoque expugnandis morbis chronicis destinat. In vlceribus et lue venerea cum mercuriali quodam coniungit. Dosin indicat scrupulum vnum ad drachmam dimidiam.

PIL. TARTAREÆ.

Sunt a SCHROEDERO, medico Francofurtensi, concinnatæ, et destinatæ visceribus ab infarctu liberandis et lentori ac coagulo humorum resoluendo. Magis alterando quam euacuando prosunt. Dantur grana X. vesperi ante cibum capienda, vnde sequenti die blandam euacuationem præstare solent. Conueniunt hypochondriacis. Incommodum in illis est, quod non facile exsiccantur, aut exsiccatæ ab attrahendo aere humido seruari possunt. Sunt etiam in vsu *pilulæ tartareæ BONTII*, vbi gummi ammoniaci adsumta quantitas aloen superat, quod videtur admodum consultum.

PIL. DE TEREBINTHINA.

Sunt balsamicæ, consolidantes, et parum diureticæ. Vt plurimum destinatæ sunt gonorrhœæ, postquam malignitas correcta est, sistendæ.

PIL. VIGANI.

Quas vtilitates specificas habeant et afferant hæ pilulæ, fateor me ignorare, quum neminem viderim

derim illis vſum, nec commendatas ab aliquo auctore meminerim. Supra vidimus ex his pilulis paratam aliquam eſſentiam, cuius pariter vſum ignoro. Aperitiuas vires bonas in illis video.

PIL. WILDEGANSII.

Nota ſubiecta de pilularum harum hiſtoria nos edocet. Admodum multæ ſunt, quæ circumferuntur, deſcriptiones, et fere quiſque ſuam pro genuina habet. Me iudice hæc compoſitio multas alias, quas vidi, bonitate ſuperat. Proinde tamen vti illa nollem, quum opio deſit par antagoniſta. Si quis adhibere velit, bene iudicet tempora morbi, ipſiuſque morbi genium, doſique minimæ ſtudeat, quum dimidium totius medicamenti opium conſtituat.

PLVMBVM VSTVM.

Propter emplaſtra et vnguenta quædam in officinis exſtare debet.

POMVM AMBRAE.

Sunt medici officioſi, qui omni præſidiorum genere ægros communire ſatagunt: ſunt et ægri, quibus nulla ſedulitas nimia videtur. In horum gratiam non ſolum epithemata varia præſcribuntur cordi et arteriis micantibus, in carpo et temporibus applicanda: verum etiam maſſa odorata manibus terenda et naribus crebro admouenda exhibetur, cuius odore vires recreentur. Sed non viuis ſolum talia præſcribuntur, verum etiam iam mortuis, pollinctura per-

acta in manus tale pomum ambratum datur; de quo legantur, qui de balsamatione præcipiunt.

PRVNA LAXATIVA

Vsus conuenit cum passulis laxatiuis, de quibus supra diximus.

PVLVIS ABSORBENS CITRATVS D. D. STAHLII.

Alio nomine vocatur *lapides cancrorum acido citri saturati.* Effectum edunt blande resoluentem in febribus continuis et inflammatoriis conspicuum. Datur scrupulus vnus.

PVLVIS ABSORBENS NITRATVS D. D. STAHLII.

Sunt duæ partes absorbentis, vna nitri. Iuuat acidum infringendo, incrassando, æstum contemperando, diapnœn, spasmodica strictura imminuta, restituendo. Dosis eadem.

PVLVIS ABSORBENS NITRATVS CVM CONCHIS D. D. STAHLII.

Idem est cum præcedente, nisi quod lapides cancrorum desunt.

PVLVIS ABSORBENS TARISATVS D. D. STAHLII.

Viribus conuenit cum prægresso citrato, forteque in solamen pauperum excogitatus est.

PVLVIS ABSORBENS D. D. WEDELII.

Describitur in *amœnitatibus mat. medic.* vt et in dispensatoriis Argentoratensi et Ratisbonensi. Egregie subuenit hypochondriacis et hysthericis, hisque palpitatione cordis, lipothymiis, ceterisque molestis symptomatibus correptis. Dosin ipse auctor præscribit exiguam, nondum X. integra grana. Sed vidi præclaros medicos, qui non pœnitendo fructu, gr. XVIII. cum tart. vitriolati gr. XII. dederunt pro digestiuo, cui altero die purgantem medicinam subiungerent. Ceterum addatur RIEDLINVS *lin. medic. ann. III. p.* 392.

PVLVIS ALEXIPHARMACVS.

Graui et nebuloso aere morbos catarrhales inducente adhiberi potest ad sanguinis motum myrrhæ respectu intendendum, transspirationem vero augendam et conseruandam nitro et sulphure. Sufficit pro dosi scrupulus dimidius.

PVLVIS ANODINVS CONFORTANS.

Est satis large opiatus, quippe septem granis vnum granum opii includens. Additamenta constant ex absorbentibus et adstrictiuis, exceptis cinnabari et extracto croci. Nescio quibus casibus secure satis quadret, nisi forte in præcipitibus et nimiis euacuationibus, vbi tamen temperantibus adiectis cicurandus esset.

PVLVIS ANTATORPHICVS.

Plus quam dimidia sui parte est saccharum. Cetera essent tolerabilia, si loco antimonii diaphoretici iouialis simplex tantum sumeretur. Dosis pro ratione ætatis a scrupulo dimidio ad integrum esse potest.

PVLVIS ANTIMONIALIS ALBVS D. D. STAHLII.

Est ex antimonio diaphoretico ac duabus partibus absorbentium compositus. Facit ad acres humores contemperandos, et diapnœn promouendam. Datur scrupulus vnus.

PVLVIS ANTIMONIALIS NITROSVS D. D. STAHLII.

Ad duas partes antimonii diaphoretici sunt tres nitri. Orgasmum humorum contemperat et diapnœn promouet. Dosis eadem.

PVLVIS ANTINEPHRITICVS.

Vsum titulus indicat. Equidem non video, cui ex partibus eius vis vlla talis insit. De lapide Judaico vereor, vt vnus genuinus apud nos exstet in officinis: si prostaret vtique, interno vsui non est aptus, sed ex antiquissima doctrina exterius adhibendus est. Et quis cum recta ratione a concretis lapidosis e porcæ ventriculo, illoque quod bezoar occi-

occidentale dicitur, sperabit vt in homine concrescere calculos prohibeant, quum in animalibus suis non impediuerint sui ortum. His vero demtis nihil remanet, cui ipsa credulitas possit fidere.

PVLVIS ANTISCORBVTICVS.

Est ex vegetabilibus stomachicis, carminatiuis et alexipharmacis compositus. Si scorbutico nulla alia cura amplius opus est, quam vt chylificatio adiuuetur, faciet vtique aliquod operæ pretium, si ad dimidiam vel integram drachmam aliquoties offeratur.

PVLVIS APOPLECTICVS.

Basin huius pulueris facit radix doronici veri, de qua non consentiunt medicinæ auctores, aliis eam salutare vertiginis et apoplexiæ remedium prædicantibus, dum alii deleteriis venenis, vtpote aconiti speciem, accensent. Mihi in tanta concertatione tutissimum videtur abstinere ab vsu medicinæ insecuræ, quam ex longe remotis terris oportet petere, vnde nulla certitudo suppetit, genuinamne acceperimus, an omnino ab imperito herbario surrogatam. Miratus sum perlectis obseruationibus pulcerrimis D. D. WEPFERI *de capitis morbis*, cur vsque adeo numquam hac radice, Heluetiis domestica, vti voluerit, quum tot vertiginosis et apoplecticis consilia scribere deberet. Consultius videtur adhibere *species contra apoplexiam* D. D. AVGVSTANORVM, quas WEPFERO laudato placuisse video, inque

frequenti vſu eſſe excellentiſſimis medicis Norimbergenſibus probe memini.

PVLVIS BEZOARDICVS ANGLICVS ſeu COMITISSAE de CANT, aut GASCONII.

Gallus quidam ex Vaſconibus, quos vulgo *Gaſcons* vocant, puluerem hunc in Angliam attulit, valdeque lucroſum ſibi expertus eſt. Multis doctorum virorum elogiis paſſim exornatur. GEORG. STARKEY teſtatur, multum a ſua efficacia deſciuiſſe eum, quam primum publice cœpit innoteſcere; idque pluribus arcanis medicinis accidiſſe annotat. Sine dubio fiducia hominum maior in talibus multa ſupplet, quæ natura ipſis negauit. Conſtat aliquibus terreis et diaphoreticis fixis, quibus ex vegetabili regno contrayerua accedit. Hæc compinguntur gelatina quadam, vt in globulos, ſi placet deaurandos, aut coccionella adiecta tingendos, redigi poſſint. Datur ſcrupuli dimidium ad drachmam mediam. Magnarum virium perhibetur in morbis acutis, exanthematicis, malignis, ipſaque peſtilentia.

PVLVIS BEZOARDICVS CAMPHORATVS D. D. WEISII.

Parum differt *a puluere aloxipharmaco* ſuperius poſito, niſi quod hic antimoninm diaphoreticum et camphora, cum modico lapidis bezoar, accedunt. Dari poteſt ſcrupulus dimidius ad integrum, in morbis inflammatoriis, aliiſque acutis et malignis.

PVLVIS BEZOARDICVS
D. D. SENNERTI.

Olim maxime celebris, et adhuc hodie multis commendatissimus in febribus malignis et exanthematicis, sal multum habet terreorum incrassantium, ipsorumque lapidum pretiosorum, quibus patres nostri magis, quam nostro sit ævo, fidebant. Datur scrupulus vnus.

* PVLVIS BEZOARDICVS
D. D. ROLLWAGII.

Per Franconiam et Sueuiam celeberrimus est iisdem in morbis, vbi præcedens commendatur. Sed aliqui suspectum reddere voluerunt, quod intempestiue aliquando vomitus mouit, aut magnas anxietates. Id fit culpa reguli medicinalis, si minus recte præparatus fuerit: quod sæpe nimis accidit cum salis communis additamento eum parantibus. Tutiorem modum videre licet *in commerc. litterario-physico-med. Norimberg. Anno I.* Datur scrupulus aut drachma dimidia.

PVLVIS CACHECTICVS
QVERCETANI.

De viribus et vsu differit *pharm. dogm. restit. cap. XV.* prope finem. Præparat prius corpora crystallis tartari et pilulis suis: deinde per XV. dies continuos præbet puluerem ad semicochlearis mensuram. Deiectiones nigras, quæ consequi solent, atrabilarium humorem, morbi huius seminarium,

aut credidit, aut perſuadere aliis voluit. Non malus ſane eſt puluis, habetque pro baſi limaturam martis.

PVLVIS CARMINATIVVS.

Optimus eſt ad finem illum, quem titulus indicat, laudandaque eſt ſimplicitas ſcopo egregie ſatisfaciens. Dari poteſt ſcrupulus ad grana XXX. vbicunque ventriculus et inteſtina cruditatibus et flatulentiis diuexantur.

PVLVIS PRO CATAPLASMATE D. D. STAHLII.

Ad leniendum emolliendumque ſatis bonæ ſunt ſpecies cum aqua vel lacte ad pultiformem conſiſtentiam coquendæ, additis pro rei exigentia oleis.

PVLVIS COMITIS DE WARWICH : alias CORNACHINI.

MARCVS CORNACHINVS, medicinæ Profeſſor Piſanus, libellum ſcripſit, quo methodum hoc puluere vtendi, ad omnes fere morbos profligandos, oſtendit. Quæ mens auctoris fuerit, in ſubiuncta notula bene admonetur. Itali nondum omiſerunt eius vſum, vt ex ſcriptis RAMAZZINI et BAGLIVI cognoſcere licet: et aliarum nationum medici eundem frequentant. HELMONTIVS celebrat ſuum *diaceltateſſon*, de quo celeberrimus Profeſſor Francofurtanus D. D. IRENAEVS VEHR ſingularem diſſertationem dedit. Admodum

dum parum ab hoc ſane differt. Videatur Excel. D. D. BOERHAAVE *chymia part. II. pag.* 357. Datur pro ingredientium diuerſa proportione ſcrupulus vnus, ad drachmam dimidiam vel ſcrupulos duos, in quouis morbo, qui purgationem poſtulat. Adde, ſi placet, Helmontium *in aurora.*

PVLVIS CONTRA ABORTVM.

Concinnatus eſt maximam partem ex leniter adſtringentibus et carminatiuis, quo etiam relata a veteribus fuerunt grana chermes, quæ octauam totius compoſitionis partem conſtituunt, hodieque magis ex facultate motus exſtimulante, ob ſal animale diureticum, quam adſtringente, cenſentur. Dandus ex vino vel ouo ſorbili ſcrupulus vnus præſcribitur. Vbi iam inſtat abortus, fidere ipſi magnopere non licebit: admodum enim anceps ſpes eſt de effectu adſtringentium cum ſtimulantibus iunctorum.

PVLVIS CONTRA CALCVLVM.

Eſt farrago multorum ad morbum calculoſum paſſim laudatorum, magis, vt mihi quidem videtur, ad fidem librorum, quam ad experientiæ certum teſtimonium; confuſa potius quam concinnata. Si graues calculi cruciatus, qui mortalium generi incubant, expugnare ſperamus, oportet vni potius ſimplici aut pauciſſimis operam dare experiundis, quam farragini. Longe itaque magis placent breues formulæ; qualis eſt *puluis ad calculum pharmacop.*

Bateanæ, cuius basis est carduus stellatus, HORATII AVGENII et MAYERNII vt et DODONAEI, non vanorum auctorum, fide commendatus: aut *puluis Jesuitico-Augenianus* ex millepedibus præparatis & oleo chalcanthi imbutis: de quo, si placet, confer meas cogitationes cum publico communicatas in dissertatione, qua serio quæritur: *denturne medicamenta, quæ calculum in vesica comminuant?*

PVLVIS CONTRA CASVM.

Arabes, vt MESVE, AVICENNA multum commendant lapsis, contusis, et vbicunque sanguis resoluendus est, rhabarbarum cum mumia et rubia ac bolo Armena ex vino rubro adstringente dandum: hinc nata est hæc compositio ab illo vsque tempore celebratissima, et a variis aucta et interpolata. Sed Arabum menti non conuenit tam exigua rhabarbari, quam basin ipsi statuerunt, quantitas. Datur drachma dimidia ad integram.

PVLVIS CONTRA COLICAM.

Constat optimis vegetabilibus carminatiuis et aromaticis, adeoque bene conuenit colico dolori a caussa frigida orto, omnique flatulentiæ, cruditatibus, languidæque concoctioni ciborum. Dari potest drachmæ dimidium.

PVLVIS CONTRA FEBRES.

Quum tot sint febrium differentiæ, fieri non potest vt vno medicamento omnibus medeamur.

Con-

Conſtat ex ſtomachicis, alexipharmacis et reſoluentibus digeſtiuis. Videtur compoſitus ex hypotheſi illa, quod febres debeantur acido primas vias infeſtanti : cui infringendo abſorbentia et ſalia lixiua deſtinantur. Si quis vti velit in intermittentibus, poterit drachmam dimidiam ſubinde præbere.

PVLVIS CONTRA PALPITATIONEM CORDIS.

Conſtat ex tonicis, antiſpaſmodicis et opiatis. Scrupulum vnum in dando excedere haud facile licebit, infra illum ſubſiſtere ſuaſerim.

PVLVIS CONTRA PHTHISIN HALY.

Auctor huius pulueris HALY *practica libr. VI. cap. XII.* illum propoſuit hoc conſilio : *opus eſt inprimis ſtudere tuſſi mitigandæ, quoniam vlceris ſolidationem tuſſis probibet. Dabis igitur hunc puluerem ad tuſſim mitigandam, et conſolidandum, æque comparatum, ad drachmas duas treſue.* Non itaque totam phthiſeos curationem pulueri huic committendam voluit, ſed tantum tuſſis mitigationem ab eo ſperandam promiſit. Neque ſaccharum penidium ipſe admiſcet, ſed nudo pulueri ſuperdandum ſyrupum papaueris ; iuiubinum aut flor. nymphææ præcepit. Vnde apparet ad auctoris mentem exhibituris maiori etiam pondere dandum eum fore. Nihil autem boni ab eo exſpectare licebit, niſi et ipſemet fuerit recens, et ex nondum rancidis ſeminibus, ſed recentibus, præparatus : facile enim

cor-

corrumpitur, ſic vt in vetuſto acari multi, ex amylo facile ſuborientes, ſæpe conſpiciantur.

PVLVIS CONTRA TERRO-REM GRAVIDARVM.

Componitur ex antiſpaſmodicis, abſorbentibus fixis et ſubadſtringentibus, cum paucis reſoluentibus. Quam bene effectus promiſſum tituli impleat, nondum experiri licuit. Dari poteſt ſcrupulus vnus ex aqua quadam diapnoica.

PVLVIS CONTRA VARIO-LAS et MORBILLOS.

Fieri poteſt, vt hic puluis in variolis et morbillis benignioribus, et ſine vlla medicatione ſponte ſaneſcentibus, ſine magna noxa detur: quo vero horum morborum ſtatu difficiliori effectiue profuturus ſit, non æque patet. Sunt aliqua quæ expulſionem promouent; alia diarrhœæ forte euenienti videntur deſtinata. Doſis ætati accommodanda eſt.

PVLVIS CONTRA VERMES.

Satis bonus eſt ad lumbricos et tineas alui necandas et expellendas. Drachma vna et grana vndecim continent grana ſeptem cum dimidio mercurii dulcis et turbith gummoſi: ex quo doſin metiri oportet, vt cuiuis ætati accommodetur.

PVLVIS CORDIALIS COMMUNIS CVM ZEDOARIA.

Conſtat ex diaphoreticis fixis et abſorbentibus, quæ transſpirationem inſenſibilem, accedente debito regimine, inſtaurare, ſicque anguſtias præcordiorum ſubinde diſſipare, et exanthemata cedentia reducere ſolent: vnde cor liberare et roborare perhibentur. Eadem in epidemiis catarrhalibus, inuoluendo et obtundendo miaſmata halituoſa, non inutilia deprehenduntur. Zedoariam omittere ſuadent, vbi adeſt calor: vnde hic puluis ſine hac radice ſeorſim proſtat. Dari poteſt ſcrupulus vnus ad drachmam dimidiam.

PVLVIS CORDIALIS PRO PAVPERIBVS.

Non multum deterior eſt præcedente, caretque illis, quæ ſine detrimento abeſſe poſſunt. Doſis eſt eadem.

PVLVIS CORDIALIS PRETIOSVS.

Conuenit cum *cordiali communi*, ſed plura habet folia auri, et loco matris perlarum ipſas margaritas orientales, cum hyacintho et vnicornu vero.

PVLVIS DENTIFRICIVS.

Vſum titulus docet.

PVLVIS DYSENTERICVS.

Supra vidimus electuarium contra dyſenteriam, cuius baſis eſt hic puluis, haud ſane contemnendus, ſicubi malignitati epidemiæ prius proſpectum fuerit. Sed ante, quam hoc fuerit factum, haud ſufficit fidæ curationi. Dari poteſt ſcrupulus et vltra.

PVL. HEPATICVS RVBER DRESDENSIS.

Eſt cremor tartari rubro colore imbutus et acido vitrioli paululum imprægnatus. Appetitum excitat, et nimium ſanguinis feruorem contemperat: vnde expeti ab illis ſolet, qui vino onerati, ſequente die capitis grauitatem et ventriculi torporem ſentiunt. Dari poteſt ſcrupulus vnus et vltra.

PVL. EPILEPTICVS OFFICINALIS.

Conſtat ex celebratis antepilepticis et antiſpaſmodicis. Offerendus eſt, vbi paroxyſmorum tempus præſciri poteſt, breui ante acceſſum: vbi id non licet, poſt abſolutum illum, aut ſingulis lunæ maioribus mutationibus. Datur ſcrupulus aut drachmæ dimidium, in aqua hirundinum aut flor. tiliæ.

PVL. EPILEPTICVS MARCHIONIS.

Etiam hic longo vſu probatiſſimus puluis tam teneræ infantum ætati vtiliſſime exhibetur, doloribus diue-

diuexatæ et pauoribus nocturnis subinde obnoxiæ, aut prorsus epilepticis insultibus correptæ: quam adultis porrigitur, quoties spasmodicis dolorificis affectibus, tam internarum partium, quam exteriorum, laborant. Memini illustrem quondam medicum D. D. IO. MAVRIT. HOFFMANNVM, cuius senectutem podagrici dolores valde affligebant, mihi dicere, se a nulla medicina dirissimorum dolorum maius et securius solatium percipere, quam ab hac, crebrioribus interuallis sumta. Datur vt præcedens. Commode iungitur puluerib̃us nitrosis et salinis, in iis vtique, quorum ventriculi nudos et solos illos non bene tolerant, vt aliqui sunt teneriores, præsertim senes et vini potui adsueti.

PVL. AD ERYSIPELAS.

Vsus est externus, vt inspergatur aut imponatur partibus affectis, ea cautione, quam chirurgia medica suppeditat.

PVL. PRO FVMO COMMVNIS.

Ad emendandum aerem vappidum fœtidumque expetitur: quod omnibus notum.

PVL. PRO FVMO CONTRA DEFLVXIONES.

In molestiis catarrhalibus et rheumaticis, præsertim humida et frigida tempestate contractis, multi, et bonis quidem rebus suis, se suffumigant tali puluere, aut, præmissa modesta frictione, suffumigata lintea

lintea parti patienti imponunt: quo facto ſæpe ſolamen præſentiſſimum conſequuntur. Neque tamen id promiſcue faciendum eſt fluentibus forte menſtruis aut hæmorrhoidibus: quum exempla proſtent hæmorrhagiarum huius generis illico ſuppreſſarum, a tali fumo largius admiſſo, aut tantum copioſius naribus hauſto.

PVL. PRO FVMO OPTIMVS.

Maiori gratia et pretio ſe commendat præ altero communi.

PVL. PRO FVMO CONTRA PESTEM.

Quantam in aeris repurgatione fiduciam veteres habuerint, hic multis ex antiquiſſima praxi repetere nihil attinet. Vix multa conſilia antilœmica percurres, in quibus non ſint propoſiti aliqui fumi ex rebus vel graueolentibus vel omnino fœtidis: iucundi odores enim nocere perhibentur. Adi, ſi placet, DIEMERBROCKIVM *de peſte*, *p.* 129. *ſeq.* Ædes totæ ſæpius per diem ſuffumigari talibus debent.

PVL. GALACTOPOEVS.

Conſtat ex terreis abſorbentibus, quæ excedens in primis viis acidum, idemque per aſſumta eodem perueniens, infringunt et corrigunt: atque carminatiuis, quæ diſſectis flatibus chylo meliori elaborando fauent. Remouendo itaque impedimenta bonæ chylificationis iuuat, poteſtque tam nutri-

nutricibus dari subinde post pastum drachma dimidia vel integra, quam etiam aliis, qui acidum molestum sibi aut flatulentias persentiscunt.

PVLV. HYPOCHONDRIACVS LAXATIVVS.

Vsum fere indicat titulus. Basin eius facit radix turbith, quam iuuant rhabarbarum et senna cum tartaro tartarisato. Corrigentis loco sunt fœniculi et anisi semina cum pauculo cinnamomi. Refertur turbith inter remedia non satis fida, satis tamen violenta: vnde vix multi hodie cum magna fiducia hypochondriacis suasuri ipsum videntur, quibus plerique interdicunt omnibus acrioribus et stricturas spasmodicas inducentibus. Drachma dimidia vel duo scrupuli ad laxandum sufficient.

PVLV. HYSTERICVS AVGVSTANORVM.

Puluis hic commendatur vterinis doloribus placandis, mensibus quoque et secundinis, quando moram trahunt, pellendis, ac suffocationi, ab vtero ortæ, arcendæ. Dari debet drachmæ dimidium ad integram, quia ex semisse saccharum habet.

PVLV. INCIDENS STAHLII.

Est digestiuus, pituitosis et mucosis humoribus resoluendis et ad fluiditatem reducendis, tum vero etiam affluxui liquoris gastrici prouocando admodum aptus. Datur scrupulus vnus.

PVLV. PRO INFANTIBVS STAHLII.

Acido primarum viarum, quod in lactentibus facile gignitur, multasque moleſtias creat, corrigendo, diapnoen conſeruando et reſtituendo, blandoque anodyno effectu teneræ ætati præclare prodeſt.

PVLV. LENITIVVS TARTARISATVS.

Eſt ſatis lenis et benignus puluis ad aluum ſiccam et tardam blande corrigendam, ſi ante prandium vel cœnam drachma vna ſumatur. Hypochondriacis, alui obſtructione laborantibus, commendari poteſt. Baſin facit ſenna, quam cremor tartari excitat.

PVLV. MANTVANVS.

Explet cenſum illorum puluerum bezoardicorum, quorum aliquos ſupra vidimus. Huic ſeorſim aliqui tribuunt, quod in morbis exanthematicis malignis valeat, et conuulſionibus, ſæpe ſuperuenire ſolitis, medeatur tam præcauendo, quam curando. Inſunt ipſi radices anthoræ, dubiæ fidei remedium: cuius forte metu parum hodie frequentatur inter practicos eius vſus, quem paſſim exſpirare audio. Dari poteſt vnus ſcrupulus, ſi crumenæ rationes non prohibent. Tertiam fere partem conſtituit ſacharum.

PVLVIS MVLIERVM.

Apparet eum compositum esse, vt succurrat mulieribus, quando vel menstruorum eruptio iuuanda est, vel suppressa eadem reuocari debent. Idem conducet in partu et ab ipso doloribus mitigandis et lochiorum fluxui blande promouendo. Dari potest scrupulus vel dimidium vnius drachmæ, iuuarique vehiculo congruo.

PVLVIS PANNONICVS RVBEVS.

Constat hic puluis compluribus absorbentibus et adstringentibus, iunctis quibusdam diaphoreticis. A longo tempore in morbis malignis contagiosis adhibetur. Videtur auctor eum præcipue accommodare voluisse febribus castrensibus, quæ in Hungaria admodum frequenter inuadunt exercitus, et sæpissime cum dysenteria coniunguntur. Et terrea illa quidem aliquantum iuuant halituosam materiam, ad tractum intestinalem iectam, incrassando et inuoluendo, bilis etiam acrimoniam contemperando: sed ob subsequentem nimiam adstrictionem aliquando noxam inferre potest. Non male veteres præcipiebant iungendum esse vehiculum ex syrupo limonum aquis diapnoici sdiluto. Datur infanti, quantum cultelli cuspide capi potest: adultis, habita crumenæ ratione, scrupulus vnus vel drachma dimidia.

PVLVIS PARTVRIENTIVM.

Conuenit in multis cum puluere ad partum HELIDAEI de PADVANIS, qui in *pharmacop. Au-*

guſt. pag. 107. legitur. Proba eſt admonitio ſubiuncta de addendo hepate anguillæ. Datur drachma dimidia ad integram ex aqua artemiſiæ, vel pulegii vinoſa, aut vino generoſo vetere.

PVLV. AD PARTVM ALIVS.

Eſt hic fere efficacior priori. Baſin faciunt teſticuli equi, quorum magna eſt commendatio apud HOR. AVGENIVM, CONR. GESNERVM, HELMONTIVM, HENRICVM ab HEER, et multos alios. Datur vt præcedens.

PVLVIS PECTORALIS.

Triplum fere ſacchari eſt ad cetera ingredientia: ſunt autem illa ſpecies diaireos et diatragacanthi, iam ipſæ ſaccharum large nactæ. Si illæ ſpecies recens paratæ ſint, non male ſe gerunt incraſſando et partim reſoluendo. Flores ſulphuris, qui inter alia accedunt, poros expediendo bene ſe gerunt. Dari debent ad drachmam et vltra, ſi quicquam boni ab ipſo cupimus reportare.

PVLVIS PLEVRITICVS.

Videtur puluis hic concinnatus, vt ſuccurrat illis, quibus a violenta quadam læſione externa pleuritis enata eſt: atque hoc intuitu forte hæmatītes atque oſteocolla acceſſerunt, quibus extra hunc caſum carere poterat. Mihi longe magis probatur, crebrisque experimentis optatiſſimis commendabilis videtur *puluis pleuriticus* MYNSICHTI, quem tradit *armamentar. pag.* 128. vnde in *pharmacopœam Bateanam*

nam relatum et insigni laude ornatum videmus. Sed quantitatem florum sulphuris vltra dimidium minuendo, semper tamen effectum laudabilem consequutus sum. Eundem quoque puluerem in aliis affectibus inflammatoriis salutarem expertus sum.

Datur noster puluis ad drachmam dimidiam: eademque quantitate Mynsichtianus ille offerendus est ex aquis diapnoicis. In valde plethoricis præmittere venæ sectionem licet.

PVLVIS PRÆCIPITANS.

Est satis bona compositio ex terreis animalibus fixis, antimonio diaphoretico et cinnabaris tantillo adornata, ventriculo acidis succis onerato futura vtilis, si scrupulus vnus vel drachmæ dimidium cum hausto aquæ subinde præbeatur.

PVLVIS PRO INFANTIBVS RECENS NATIS.

Constat ex iisdem, vnde componi solent plerique pulueres antepileptici. Quæ vera sit necessitas eiusmodi pulueribus recens natos quasi initiandi, equidem non video, atque inter superuacua, si non subinde valde noxia, humanæ prouidentiæ studia illum repono. In paullo adultioribus, et vbi conuulsiui motus ex acescente lacte metuuntur, pro diuitum liberis præscribi aliquot grana poterunt.

PVLVIS PVERORVM COMMVNIS.

Constat ex resoluentibus, antispasmodicis et diapnoicis, cum sacchari plus quam triplo iunctis. In oppletione pectoris præcipue valebit. Paullo

maiori quantitate blandum vomitum excitare valet. Dosis cultelli apice excipitur.

PVLV. PVERORVM COMPLETVS DICTVS.

Habet pleraque, quæ in communi dicto aderant, sed accedunt heic aliqua antepileptica et absorbentia. Sacchari plus quam dimidium habet: quare paullo largior esse dosis debebit.

PVLV. PVERPERARVM.

Basin præbet puluis mulierum supra positus. Adduntur aliqua, quæ partim lochiis promouendis, partim etiam doloribus blande componendis proficua sunt, omnisque generis excretiones respiciunt. Non male igitur offeretur puerperæ languenti, et aliqua valetudinis parte deficienti. Nam vbi per se omnia recte succedunt, merito cohibenda est nimis officiosa sedulitas, qua maior pars humani generis absque vllo incommodo caret. Dandus est ad drachmam dimidiam ex iusculo.

PVLVIS PVRIFICANS.

Adhibetur illis, qui scabie aliisque vlceribus obsessi sunt, per insensibilis transspirationis auctiorem successum sanandis. Non parum iuuatur effectus additis bonis infusis vel decoctis. In scrupulo vno habemus quatuor grana sulphuris.

PVLVIS PVRIFICANS D.D. STAHLII.

Eidem scopo destinatus est, et pulchre satisfacit. Non enim solum excretoria aperit, verum etiam ipsam

ipſam lympham ſpiſſam fundit, et quæ indurata et calloſa ſunt, ad fluxilitatem et mollitiem reducit. Quare continuato vſu, et adiunctis commode humectantibus ac diluentibus, pertinacia ac grauia mala vincere hoc pacto licet. Sed vſu ſatis diu continuato opus eſt: ſub quo aliquando ſaliuæ fluxus euenit, quem debite moderari oportet. Vidi tamen ad integrum menſem productum vſum abſque ſaliuationis euentu: dum interea antiqua pedis vlcera fœtidiſſimum ichorem large fundebant, quo ſenſim imminuto profluuio et malo odore ceſſante, callus ſponte ad naturalem modum mollis reddebatur, et conſolidatio, abſque vllo externo adminiculo, conſequebatur. Datur ſcrupulus dimidius.

PVLVIS RESOLVENS D. D. STAHLII.

Inſunt ipſi abſorbens, conchæ præparatæ, quæ ſpiſſitudinem ſanguinis ab acido occupant et auferunt; antimonium diaphoreticum, quod in ſtaſibus diſcutiendis valde conſpicue iuuat; et denique nitrum, quod in remittendis ſtricturis ſpaſmodicis cetera longo interuallo poſt ſe relinquit. Ex quo elucet conſilium beati viri, quod in hoc puluere concinnando ſequutus eſt. Confert itaque omni humorum lenteſcentia, ſtagnatione, viſcerumque infarctibus expediendis: eſtque ampliſſimi vſus præcipue in febribus, vt et congeſtionibus. Datur ſcrupulus aut medium vnius drachmæ.

PVLV. RESOLVENS COMPOSITVS D. D. STAHLII.

Eſt idem puluis præcedens, quarta parte extracti caſcarillæ auctus, a quo beatus Auctor ſingula-

res vires resoluendi notauit in pectoris morbis, peripneumonia, pleuritide: vt et in diarrhœis febrium acutarum et dysenteria mitigatorium quibusuis aliis efficacius idem prædicat: ex quo facile intelligitur, quibus casibus potissimum hic puluis exhibendus sit.

PVLV. SCILLÆ COMPOSITVS D. D. STAHLII.

Hunc puluerem in scriptis suis, quantum mihi succurrit, nullibi diserte commendat, vt nec ab ipso deducti viri in suis lucubrationibus vllam eius mentionem faciunt. Memini me ex ore beati præceptoris, cuius cineres gratus veneror, audire egregios effectus pulueris cuiusdam vegetabilis in œdematosis affectibus, quem in arcanis habeat quidam consiliarius, nescio an Darmstadiensis an Durlacensis. In memoriam huius rei redibam ante hos decem admodum annos, quum apud Sereniſſimum Ducem Solisbaco-Palatinum THEODORVM p. m. versarer cum D. D. IANTKIO, ipsius ordinario medico, meo in Altorfina academia honoratissimo collega. Inter varios sermones referebat optimus Princeps de Helmontio iuniore, quod is sibi admodum iuueni salutem attulerit puluere ex vincetoxico et cepa quadam exotica parato, a quo vomitus subsequutus sit. Mihi itaque probabilissimum videtur b. STAHLIVM in notitiam eius arcani demum venisse post suum ab hac academia discessum: priorem autem illius possessorem ab Helmontio illud accepisse. Debentur autem illustri viro præclare grates, quod vtilissimum remedium communi vsui tradere et permittere voluerit.

Est

Est autem resoluens præstantissimum in asthmate humido, catarrho suffocatiuo, oedematibus et cachexia vtilissimum. Dantur pauca grana, tria vel quatuor: possuntque pilulis mitioribus commode immiscери. Audio etiam b. STAHLIVM clysteribus eundem indidisse: quod tanto minus miror, quum in schediasmate de pilularum suarum vsu syrupum de scilla certis casibus inter enemata adhibendum suadeat.

PVLVIS STEGNOTICVS D. GVTMANNI.

Stegnotica medicamenta Græco nomine denotant stipantia, contrahentia siue occludentia, propriequе dicuntur sic, quæ oscula vasorum claudunt et sensibiles euacuationes supprimunt. Adeoque directe oppositа sunt anastomoticis, quæ ora vasorum referant.

Cogimur autem nonnumquam ad talia peruenire impetuosis hæmorrhagiis cum vitæ periculo erumpentibus. Tali casui hic noster reseruatus est, quem ad drachmam dimidiam, et vltra, offerre debemus, cum succo polygoni aut plantaginis, vel, si hiems succos neget, cum decocto traumatico, quale ex succisa et geranio Robertiano vtilissime parari potest.

PVLVIS STERNVTATORIVS COMMVNIS.

Satis efficax est ad vsum, quem titulus declarat.

PVLVIS STERNVTATORIVS
cum Moſcho et Ambra.

Præter ſternutatorium vſum, cui ſatis bonus eſt, quamuis præcedente longe mitior, odoris iucunditate illis, qui ferre talia poſſunt, optime ſeſe commendabit: modo medicus caueat a talibus elegantiis, vbi ad feminas hyſtericas abit: et in genere apud puerperas odores non afferat, quum mihi nota ſit mulier honeſta, quæ quum nunquam antea offenſa fuiſſet ſuaueolentibus, in periculoſam ſyncopen ſtrangulatoriam incidebat ad medicinæ odoratæ oblationem, etiam a longinquo diſtantem.

PVLVIS STOMACHICVS
QVERCETANI aut potius BIRCKMANNI.

BIRCKMANNVS medicus erat Colonienſis, quem QVERCETANVS laudat *pharm. dogm. reſtit. p. m.* 312. Nomen autem ab hoc conſequutus eſt, quia ipſum publici iuris fecit in modo laudato libro, cuius *pag.* 377. deſcriptus legitur, cum honorifica auctoris indicatione, de quo commemorat, quod ſingulis annis LX. vel LXXX. libras eius conſumſerit. Apud Anglos fere audit *puluis ari compoſitus*, et inter illos etiam valde frequenti vſu habetur. De vſu hunc in modum diſſerit QVERCETANVS: *exhibetur non tantum ad ventriculum corroborandum, cui proprie conuenit, ſed etiam ad capitis affectus, ad hemicranias acutiſſimas, vertiginem, melancholiam hypochondriacam*, cachexiam et *ſimiles affectus. Ad calculum etiam et febrem quartanam*

tanam porrigitur. Habet enim facultatem deoppilandi hepar, lienem et totum meſenterium, et diſſoluendi et liquefaciendi tartarum glutinoſum, qui plurimorum morborum cauſſa exiſtit. Multi ſane laudes huius valde prædicant pulueris, quos cumulare hic nihil opus eſt. Singulari capite illum celebrare dignatus eſt RIEDLINVS *linear. medicar. anno* VI. *pag.* 345. In doſi offerenda non oportet nimis eſſe parcos, præſertim vbi ſaccharum multum acceſſit. Vix operæ pretium facit minor quantitas, integra drachma: BAGLIVVS ad quinque drachmas progreſſus eſt, vt notauit ὁ χαριέσατος WERLHOFIVS *obſeruat. de febribus p.* 45. *not.* †

RESINA IALAPPÆ.

Diſtinguuntur alicubi *magiſterium* et *reſina Ialappæ.* Illud dicunt, quando eſſentiæ per ſpiritum vini extractæ aqua affunditur, idque, quod ſic præcipitatum eſt et ſubſedit, ſeorſim colligitur: hanc vero appellant id, quod ex ſpiritu tincto remanet, quando omnis humiditas deſtillando auocata eſt: in quo craſſamento multum gummoſi ſupereſt et permixtum manet: quod illi, qui aquam adiecerunt, poſt ſeparationem magiſterii lento igne inſpiſſatum, ſub nomine *extracti mechoacannæ nigræ* reponunt. vide *pharmacop. Auguſt.* et *Argentorat.*

Ex his modis haud ſcio annon ille, quo reſina obtinetur, præferendus ſit magiſterio: quum interpoſitæ gummoſæ partes efficiant, vt in ventriculo et inteſtinis reſina, per calorem mollis et tenax facta, vni loco pertinaciter non adhæreſcat, ſicque torminum vehementium cauſſa fiat. Sed iſti incom-

modo

modo obuiam hodie itur alio modo, quem ſequenti titulo videbimus.

Prærogatiuas tam reſinæ, quam magiſterii, præ puluere rădicis, exiguas cognoſcere mihi licuit. In puluere non ſolum hoc præclarum eſt, quod nullo conſpicuo ſapore præditus eſt, verum etiam a torminibus excitandis tantum abeſt, vt in torminibus colicis vere anodynum ſe gerat, et dolores, ante ſubſequentem euacuationem, manifeſte ſedat et imminuit: quod a magiſterio fruſtra exſpectes. Quare in infantili et puerili ætate optimum eſt pulueri radicis inhærere, miſſaque facere hæc artificia.

Sed magiſterio ſic dicto hoc commodum eſt, quod cum ſpiritu aniſi facile ſoluitur, ſicque ſyrupo cuidam adiectum iucunde potatur; quod idem obtinet in reſina dicta.

Si magiſterium pineis aut amygdalis adiectis conteras, affuſis aquis deſtillatis emulſionem accipies vegete purgantem. Vidi olim iuueni robuſto, et militaribus laboribus durato, emulſionem ex octo granis paratam terribilem induxiſſe hypercatharſin: quare nemini auctor fuerim imitandi magnas doſes, quæ paſſim præſcriptæ inueniuntur, etiam nondum annıculis præbendæ.

Doſis reſinæ et magiſterii ab aliquibus larga offertur. Sic THONERVS *in appendice ad obſeruationes pag.* 364. recenſet ſibi familiare eſſe magiſterii grana XII. XV. ſpiritu aniſi ſoluere et ſyrupo adiuncto præbere: in puluere, infantibus grana VII. X., adultis XV. XX. XXX. ſe offerre ſcriptum reliquit: quod vel ipſe imitari vel aliis ſuadere in noſtris terris equidem nolim. Mihi optime ſatisfaciunt

grana

grana III. V. ſcrupulo dimidio extracti marocoſtini vel panchymagogi addita, et grano vno vel altero trochiſcorum alhandal exſtimulata, ſicque in pilulas redacta, a qualibus ſufficientem euacuationem ſine moleſtia ſemper obſeruare licuit.

RESINA PRAEPARATA
D. D. STAHLII.

Quum reſina hæc in ventriculo et inteſtinis facile adhæreſcat et tormina concitet: agere autem, niſi ſoluta, nequeat: olim coeptum eſt illam ante vſum cum pinea aut amygdala terere, vt ſic et minus adhæreſcat pingui ſubacta, et facilius ſub emulſionis forma humores ſubeat. Celebris aulæ Boruſſicæ quondam archiater, D. ANDR. GVNDELSHEIMERVS, in vſu habebat reſinam præparatam, ex partibus tribus amygdalarum dulcium et partibus duabus reſinæ, terendo in puluerem paratam. Huius ſucceſſor Exc. STAHLIVS proportionem mutauit et pares vtriuſque partes aſſumere maluit. Laudem meretur hæc præparatio, quum reſina ſic præparata et minori quantitate et minore incommodo optime operetur. Dari poſſunt grana VIII. X. XII.

RESINA SCAMMONII.

Si ſcammonium nobis afferretur, quale vetuſti medici laudant, δακρύδιον, inſtar lacrymulæ ex mera reſina condenſatum; non opus haberet hac depuratione a partibus terreſtribus, ſabuloſis, impuris. Nunc illa opus maxime videtur, quum in maſſa impura

pura et heterogeneis multis permixta neſciamus veram quantitatem efficacium et ſcopo idonearum partium. Sic autem præparata pari modo ac reſina ialappæ vel ſpiritu ſoluta vel pinea aut amygdalis ſubacta in vſum trahi poteſt: vel cum oui vitello diſſoluta exhiberi.

ROB ACACIÆ NOSTRATIS.

Quum renaſcentibus litteris deſideraretur acacia veterum, cui vires adſtringentes multæ ab ipſis tribuuntur, quæſitum fuit quid ipſi poſſet ſurrogari: placuitque pruni ſilueſtris fructus ad id deligere: vnde et ipſi arbori nomen acaciæ Germanicæ tributum fuit. Quam bene hæc ſubſtitutio facta ſit, non licet nobis decernere, quamdiu ignoramus, quid vera acacia fuerit, et annon præter adſtringendi vires alias nobiliores poſſederit. Mihi cogitanti, quam communis toti orienti ſit illud medicinæ genus, quod *Catechu* vocant, vero videtur ſimillimum id ipſam eſſe acaciam veterum: ſed quo minus certum id habeam, detinet DIOSCORIDES, qui acaciæ ortum Ægypto vindicat, et arborem ſpinoſam, ex cuius fructibus paratur, fundere gummi vermiculatum prodit: quibus indiciis ducti peregrinatores aliqui eruditi, quos inter PROSPER ALPINVS regnat, veram acaciam poſtliminio reduxiſſe videntur, parandam ex fructibus immaturis illius acaciæ, quæ gummi Arabicum profundit.

Noſtrum rob olim ad theriacam parandam adhibebatur: nunc præfertur illud ex Ægypto. Ad aluinos aliosque fluxus cohibendos hodieque electuariis et bolis adiici ſolet: quod ſi tempeſtiue fiat, reprehenſione carere debet.

ROB

ROB BERBERVM.

Fructus berberum fouent ſuccum acidum vinoſum, qui, demta humiditatis diluentis maxima parte, ſubauſterus, refrigerans et adſtringens redditur: quare ad electuaria et bolos, qui talibus indigent viribus, expeti et adhiberi ſolet.

ROB CERASORVM.

Gratius et blandius acidum poſſidet præcedenti. Admiſcetur electuariis et bolis refrigerantibus, analepticis et ſubadſtringentibus. Non minima pars in culinæ vſus cedit, ad grata embammata conficienda et iuſcula variis eduliis infundenda.

ROB CORNORVM.
ROB CYNOSBATI.

Idem fere de his dicendum eſt, quod de præcedenti. Vltimo ſeorſim tribuuntur vires diureticæ.

ROB EBVLI.

Per omnia conuenit cum rob ſambucino, vt vnum alteri ſurrogari poſſe videatur.

ROB IVNIPERINVM.

Si decoctio præſcripta in veſica fiat, alembico adaptato, nobile oleum iuniperi verum nanciſcimur, cuius laudes prædicat illuſtris HOFFMANNVS *obſ. phyſico-chymic. lib. I. obſ. III.* quo loco de

rob

rob noſtro ſic ſcribit : *Hoc ipſum medicinam præbet ad roborandum imbecillum ventriculum, ad tonum reſtituendum deiectum, inteſtinalem in alui fluxibus, ad præſeruationem a calculo, ab hydrope, præſtantiſſimum. Commode ſoluitur in vino Hiſpanico, vel alio dulci et potente, et cochleatim offertur poſt cibum ſumtum vel ante lecti introitum. Hoc iuuat ſenes, quibus veſicæ vitia et in vrinæ emiſſione difficultates, nec non imbecillitates ventriculi et inteſtinorum valde familiares ſunt.*

ROB MORORVM.

Duplex præſcribitur, alterum cum melle parandum, cum ſaccharo alterum. Illud cum melle ad nos tranſmiſit GALENVS, quem ſequuti *diamoron* appellant. Commendatur autem ab ipſo ad vuulæ tonſillarumque, atque alias in ore inflammationes, tam illitum, quam gargariſatum. Forte parum diuerſus erit fructus ab altero cum ſaccharo exſpectandus.

ROB NVCVM.

Etiam hoc a GALENO ad nos transmiſſum eſt, qui *de compoſ. med. ſec. loc.* libr. VI. deſcribit, et occaſionem a ſe inuenti remedii commemorat. Græco nomine dicitur *diacaryon*, quaſi *de nucibus*, quia ex ſucco corticum viridium nucis iuglandis paratur. Eodem valet, quo rob diamoron, quod præceſſit.

ROB RIBIVM.

Cum illo ex ſucco ceraſorum conferri meretur.

ROB

ROB SAMBVCINVM.

Præstantissimum, et a quibusdam theriaca domestica nominatum, viribus diaphoreticis, quin in aliquibus laxantibus, prædítum, per se cum aquis diapnoicis, aut aceto dilutum, bibitur, corpore ad diapnoen disposito. Seruit bolis et electuariis parandis. Externe inflammatis et erysipelate obsessis partibus a multis imponitur.

ROB DE SPINA CERVINA.

Habet et purgandi vires egregias, adeoque electuariis et bolis pro hydropicis parandis seruiunt. Sed frequentior est vsus syrupi, qui ex iisdem baccis paratur. Prouidendum est, ne vtamur succo hoc tali, quem tinctores et pictores expetunt, quin in vasis æneis studiose relinquitur, vt æruginis multum in se recipiat: unde ventriculi grauis subuersio metui iure debet.

ROB VINI seu SAPA.

Quid veteres sapam et defrutum dixerint, quibus legibus decoxerint et quomodo coctis fuerint vsi, copiose disputat IO. ANTONID. *van der* LINDEN *selector. medic. exercit. X.* Vsus domesticus erat loco mellis, aut vt nos syrupo simplici vtimur. Medici adhibebant aliis condiendis et excipiendis, viresque analepticas et roborantes ipsi tribuebant, habita tamen ratione vuarum, ex quibus pressum acceperant mustum. vide DIOSCORID. *V. cap.* 9. Apud nos rarius præscribitur, nisi for-

te excipiendis pulueribus in pilulis, bolis, electuariis a vetuſtate ad nos tranſmiſſis. Menſis alicubi ſeruit ad ſemen ſinapeos excipiendum pro intinctu.

ROTVLÆ BECHICÆ OPIATAE.

Vide *trochiſcos de ſucco glycyrrhizæ correcto.*

ROTVLÆ BERBERVM EX SVCCO.

Grata aciditate reficiunt et ſitim ſolantur. Adhibentur potiunculis edulcorandis, atque ſiti æſtuantium reſtinguendo ori induntur.

ROTVLÆ CEPHALICÆ.

Ore detinentur, atque liquatæ cum ſaliua deglutiuntur tempore graui catarrhali: tum vero etiam illis commendantur, qui vertigine laborant, et apoplexiæ vel inſultum vel reditum extimeſcunt.

ROTVLÆ CONFECTIONIS ALKERMES.

Præcipue expetuntur ad oris et halitus commendationem: tum vero etiam aliquantulum analepticæ cenſentur.

ROTVLÆ DIAIREOS SIMPLICIS.

Subaudiendum in titulo: *Specierum confectionis* ſeu *antidoti.* Eadem eſt ratio genitiui caſus in

in titulis duobus ſequentibus. Species autem confectionis diaireos ſimplicis quo valeant, videndum eſt ſuo loco.

ROTVLÆ DIATRAGACANTHI FRIGIDI.

Subaudi *ſpecierum electuarii.* Æſtimandæ ſunt ex viribus ſpecierum, quæ infra occurrunt.

ROTVLÆ LIBERANTIS.

Vide infra *ſpecies* antidoti *liberantis.*

ROTVLÆ SACCHARI ROSATI SIMPLICES.

Eſt ſaccharum aqua roſarum ſolutum et ad tabulati conſiſtentiam redactum. Odorem inde nactum eſt roſarum.

ROTVLÆ SACCHARI ROSATI PERLATAE.

Eſt idem ſaccharum præcedens, ſed cuiuis vnciæ adiectus eſt ſcrupulus vnus margaritarum orientalium præparatarum. Adhibentur trageis et potionibus ac emulſionibus edulcorandis, quando diuitibus præſcribuntur. Cordiales et analepticæ perhibentur.

ROTVLÆ SACCHARI ROSATI CVM OLEO ANISI.

Sunt carminatiuæ et bechicæ.

ROTVLÆ DE RHABARBARO.

Nulla re, nisi forma externa, differunt a morsulis de rhabarbaro, quos supra vidimus.

SACCHARVM CANDI VIOLARVM.

Saccharum crystallisatione angulosum factum Græci medii ævi vocabant κανδὸν vel κάνδιον, docente MEVRSIO *in glossario* et SALMASIO *in exercit. Plinian.* atque ex his repetente et confirmante IO. ANTONIDA LINDENIO *select. medic. exercit.* X. §. 16. his verbis: *Meminerint ergo medici in suis Recipe scribere saccharum non* candum *aut* candidum; *sed* cantum *aut* cantium. A violis parum accipit, nisi quantum succi enatis crystallis in superficie forte adhæsit.

SACCHARVM PENIDIVM.

Quæ sit nominis ratio, valde obscurum mihi videtur, quum res ab Arabibus originem, quantum indagando consequutus sum, habeat, et nobis per semibarbaros interpretes transmissa sit, ipso, quo auctores scripserunt, idiomate aut deperdito, aut vsui publico, si vnum Ebn-Sina excipias, subtracto et in forulis bibliothecarum abditissimis latitante. Est autem ex antiquissima descriptione saccharum, addita maioris tenacitatis caussa mellis exigua quantitate, in consistentiam ductilem mutatum, et pauxillo amyli et olei amygdalarum dulcium inter tra-

tractandum et quasi depsendum leuiter imbutum, vnde magis lubricans et incrassans redditur. Quoniam in cylindraceam aut funium similem formam tractum est, commodius est aliis sacchari speciebus, quod lingendum pueris et infantibus præbeatur in manus. Præfertur etiam simplici saccharo in pulueribus pectoralibus et linctibus, incrassandi scopum habentibus.

SACCHARVM ROSATVM TABVLATVM.

Est saccharum puluere rosarum rubrarum et pauxillo spiritus vitrioli imbutum: hinc hepati æstuanti perhibetur conducere. Sitim et fauces siccas solatur.

SACCHARVM SATVRNI CRYSTALLISATVM.

Hoc externis vsibus satis commodum est ad efficaciter adstringendum et repellendum. Aqua solutum paria facit aceto lithargyrii, de quo supra diximus. Ad internos vsus et olim a præclaris viris commendatum videmus, et hodie ab empirica omni gente multum adhibetur, præsertim in gonorrhoea, aliisque profluuiis expedite compescendis: quod raro non magnam valetudinis labem, sæpe inemendabilem post se trahit. Cogitanda permitto verba Cel. BOERHAAVII *chem. P. II. pag.* 456. *Interne commendatur pro remedio salubri contra hæmoptoen, hæmorrhagiam, mictum sanguinis, gonorrhoeas, fluores albos et similia, tum etiam pro mitificante remedio contra acrimoniam sanguinis.*

Sed numquam auſus fui facere periculum : quia felices ſucceſſus haud vidi ab aliis adhibentibus natos, et quoniam noui vix doloſius haberi tetrumque magis venenum, quam ab hoc plumbo, ſtatim in ceruſſam redituro, ac acidum ab occurrente quacunque re inde abſorbetur. Hinc letale, *nec facile poſtea ſanandum, venenum corpori inducitur.* Quem hæc, hisque ſimilia cordatorum medicorum teſtimonia non mouent, forte terrebunt Ill. STAHLII verba in tractatu vernaculo *de ſulphure pag.* 25. vbi quærit, quantum a veneficio vindice iuſtitiæ gladio puniendo diſtet medicus ſaturnina interne ſumenda præbens, quum vietor capitis pœnam ſubierit, qui vina acida iniecto lithargyrio dulciora reddiderat, cum infinitorum hominum damno, de quo argumento legere iuuat Excell. ZELLERI diſſertationem *de docimaſia et noxis vinorum lithargyrio infectorum* et ROS. LENTIL. *in iatromnem. cap. IX. ſchol.* pag. 65. ſeqq.

SAL ABSINTHII.

Magna olim quantitas et varietas ſalium lixiuorum, ex vegetabilibus combuſtis parandorum, in officinas illata fuit : circa quos in cryſtallina forma exhibendos pharmacopœi variis artificiis certant. Noſtro æuo illa varietas in deſuetudinem fere abiit, forteque pauci erunt, qui ſpecificas vegetabilis virtutes in ſalibus hiſce lixiuis quærant. Si absque additamentis parata ſint, alcalina plus minus pura erunt : ſi artificia acceſſerunt, mediæ naturæ cenſenda fuerint. Sequuntur itaque effectum alcalium, qui eſt acidum infringere et in naturam mediam transferre

humo

humores craſſos attenuare ac incidere et vrinam ciere, quorundam ſegnium laxantium, vt rhabarbari, vires excitare et intendere: aut mediorum, qui itidem eſt colliquatiuus, reſolutorius et inciſiuus. Raro per ſe dantur hodie, ſed aliis ſalinis itemque vegetabilibus adiuncta. Conf. Exc. D. D. NEVMANNI *prælection. de ſal. alcal. pag. 59. ſeqq.*

SALIS AMMONIACI
FLORES.

Vide ſupra dicta, ad titulum FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES. Si nihil martiale illis ineſt, a ſale ammoniaco non differunt, niſi maiori puritate. Dantur grana IV. ad XV. Sunt digeſtiuum et diureticum, ac pro ratione adhæreſcentis martialis tonicum.

SAL CINNAMOMI.

Celebratum video a ſcriptoribus medicis Europæis, qui in India praxin exercuerunt, vbi abunde multa eſt occaſio ab oleo deſtillato reſiduos cortices, nulli vſui amplius idoneos, huic elaborationi adhibendi. Apud nos ſuperuacuum, ſi non ſtolidum, eſſet pretioſum aroma perdere, vt ſalem nanciſcaris, qui ex viliſſimis æque bonus et efficax haberi poteſt. Ex reliquiis deſtillationum effœtis parato, vtpote re per ſe inutili, pretium magnum ſtatuere indignum videtur.

SAL CORALLIORVM.

Est magma salinum, quod natiuas coralliorum vires præstare nequit: hodieque fere a medicis elegantibus negligitur.

SAL CORNV CERVI VOLATILE.

Est sal alcalinum, ab adiuncto oleo empyreumatico volatilem naturam adeptum. Qua alcali agit resoluendo et humores fluxiles reddendo: oleum intime innexum expansionem aliquam humoribus affert. Vnde fit, vt illi fluxiliores redditi, atque aliquantum expansi profundius in organa colatoria penetrent, sicque secretiones omnis generis intendantur. Atque hac ratione opem adferre potest omni isto casu, quo motus excitandi sunt; exsulare autem debet, vbi iam per se valde intensi et efferati sunt. Specificasne cornu ceruini vires, tantopere a nonnullis celebratas, foueat, plurimi hodie dubitant: potioresque videntur rationes eorum, qui partem negantem sequuntur. Dantur grana quinque ad scrupulum vnum. Quo magis ab oleo empyreumatico liberatum est, eo largior dosis concedi potest. Et senes facilius ferunt, quam iuuenes et plethorici.

SAL FEBRILE MYNSICHTI.

Omnibus, sine discrimine, febribus intermittentibus summum alexipyreton spondet auctor *armament. chymic. pag.* 204. Offerre iubet drachmam dimidiam vel integram, tribus vel duabus horis ante accessionem, in aqua centaurii minoris vel

alia

ſpecifica, exſpectato ſudore ſub declinatione paroxyſmi. Eandem doſin iterare iubet, ſi prima vel ſecunda ſpei non ſatis fecerint. Certe non periculoſum eſt remedium, et in aliqubus præclare iuuat.

SAL POLYCHRESTVM GALLORVM.

Sal hoc polychreſtum a tartaro vitriolato aut arcano duplicato nihil differt. Vſum eius edocet LEMERY *in curſ. chym. p. m.* 441. *Vti illo licet ad purgandum per aluum, et vrinam ciendam, vnam vel duas drachmas, menſura vnæ aquæ ſolutas, mane ebibendo. Infuſo ſennæ a ſcrupulo vno ad quatuor ſolet adiici, ad vires purgatiuas exeitandas et tinctturam melius extrahendam. Quidam ſex drachmas, aqua diſſolutas, præbent, ad purgationem fortiorem concitandam:* ego vero non ſuaſerim *hoc ſale ſolo vti ſcopo purgandi, quia ventriculum moleſte pungit.* Præ hoc laudat et commendat. *pag.* 443.

*SAL POLYCHRESTVM de SEIGNETTE.

Inuentum pharmacopoei Rupellenſis, quod ob blandiorem operationem per vniuerſam Galliam valde celebratum ſit. Arcanam per complures annos, et ſuo inuentori ac hæredibus lucroſam, medicinam nuper publici iuris fecit Exc. D. D. CASP. NEVMANNVS, Conſiliarius et Profeſſor Regius in *prælectionibus de nitro pag.* 92. Scilicet nitri, ſulphuris et cryſtallorum tartari æqua-

les partes candenti crucibulo ſucceſſiue ingeſtæ detonantur, deinde ſoluta materia in cryſtallos redigitur. Vſus idem, qui præcedentis, quin, teſte LEMERYO, ſecurior eſt et benignior.

SAL SANGVINIS CERVI VOLATILE.

SAL SANGVINIS HIRCI VOLATILE.

Parum inter ſe, et a ſale C. C. volatili differunt vſu et viribus.

SAL SVCCINI VOLATILE.

SAL SVCCINI DEPVRATVM.

Quæ ad elaborandi et depurandi modum pertinent, vt et depurationis neceſſitatem, accurate, pro more ſuo oſtendit modo a nobis laudatus D. D. NEVMANNVS *prælectionum de ſuccino pag.* 81. *et ſeqq.* Ipſum hoc ſal eſt acidæ naturæ oleo ſuccini imbutum, penetrans, aperitiuum et motus excitans. Præcipuus vſus eſt, vt liquori C. C. ſuccinato parando inſeruiat: ſed et per ſe in affectibus hyſtericis, catarrhalibus et neruinis vtiliter adhibetur. Dantur grana V. ad XX. nec adeo magnopere commouet, ſi modo probe depuratum adhibeatur. Eſt etiam vſus eius externus ad odorandum: vt et balſamis admiſcetur pro hyſtericarum naribus attemperandis.

SAL

SAL TARTARI.

Illud extemporaneum, de quo hic ſolum ſermo eſt, vſibus medicis ſic ſatis probe inſeruit, quanquam a nitri crudi miſcela non omni purum inuenitur. Adde infra ſuo loco dicenda ad titulum *Tartari ſal.*

SAL VIPERARVM VOLATILE.

Plerumque ab Italis petitur, quibus circa Patauium in montibus Euganeis magna viperarum copia ſuppetit. Noui excellentiſſimum medicum Norimbergenſem, D. D. WIDMANNVM, in paralyticis curandis operæ pretium hoc genuino ſale feciſſe, ſed continuato vſu, a tribus granis incipiendo ſenſimque ad ſcrupulum vnum, quin vlterius, adſcendendo, iungendoque decoctum ſarſæparillæ. Felicis curationis initium eſt ſenſibilium dolorum in parte reſoluta perceptio. An idem præſtiturum ſit ſal volatile cornu cerui, experientiæ permittendum eſt. Quum ante paucos annos viperarum viuarum aliquis numerus, pro viro primario, huc mitteretur, factum eſt vt vir, qui eos incautius tractauerat, in manu admorderetur. Is locum admorſum ori admouebat, venenum ſuctione extracturus. Sed non minus brachium quam labia tumore inſigni intra pauciſſima momenta inflabantur. Ad opem vocatus D. D. ALION, medicus experientiſſimus, illico ſal viperarum volatile labiis imponebat, idemque intro ſumendum præbebat, breuique hominem ſaluum præſtabat, nullo alio adhibito artis præſidio;

dio, quod ex ipsius referentis ore, et testibus oculatis, percepi.

SAL VOLATILE AROMATICVM.

Est satis pulcrum remedium, quod atoniam ventriculi et intestinorum corrigit et flatulentias dissipat: temporibus etiam ac locis grauibus vtiliter adsumi potest, vt transspirationem insensibilem conseruet vel imminutam aut suppressam restituat. Modo abusus caueatur in iuuenibus et ad orgasmum humorum pronis. Dari possunt guttæ XX. XXV.

SAL VOLATILE OLEOSVM CEPHALICVM.

Nulla re magis, quam præcedens, cephalicum iudicari potest, nisi forte ob oleum succini, quod hic accessit, cuique vires cephalicæ insignes ab aliquibus tribuuntur.

SAL VOLATILE OLEOSVM CINNAMOMI.

Est analepticum, et omnium in genere motuum excitatorium, et excretionum stimulus, si debito loco et tempore exhibeatur illis, qui non tam fræno quam stimulo indigent. Dari possunt guttæ X. XII. et vltra.

SAL VOLATILE OLEOSVM MACIS.

Est sedatiuum et stomachicum affectibus frigidis proficuum.

SAL VOLATILE OLEOSVM STOMACHICVM.

Nec hoc malum, si ad ventriculi vitia idiopathica modeste offeratur. Paratur tale aliquod Lipsiæ, in officina Linckiana, cuius basis est oleum destillatum absinthii, cuiusque bonitatem mille viui testes, in se ipsis experti, comprobare possunt. Scio aliquibus febres tertianas diuturnas, post vsum emetici, solum deinceps vsum talis medicinæ tuto et iucunde abstuliſſe.

SAL VOLATILE OLEOSVM SYLVII.

Celeberrimus vir FR. de le BOE SYLVIVS salium volatilium oleosorum vires in scriptis suis passim celebrat et commendat, in humoribus attenuandis et corrigenda bilis praua constitutione. Sui, quod domi parauit et distribuit, seorsim mentionem facit *de meth. medend. II. cap.* 17. §. 63. deque eo testatur, quod in mensibus ciendis nihil efficacius et huic rei aptius repererit.

Quum ipse veram præparationem celauerit sui salis, hoc autem a vero multum esse diuersum ex testimonio subiuncto cognoscamus: supereſt, vt iudicium

dicium de medicina, ſimulque gratias, quæ debentur illis, qui bona inuenta bono publico candide exponunt, differamus, donec forte Syluianæ ſchedæ in manus liberaliores incidant.

Neque tamen ad hanc deſcriptionem paratum ſal volatile oleoſum ineptum eſſe medicamentum dixerim: nam vires carminatiuas, aperitiuasque ſatis bonas poſſidet, ſi ſenibus pituitoſis offeratur modeſta manu, a guttis XII. ad viginti, atque vel præmittatur vel ſubiungatur infuſum aliquod theiforme calidum.

SAL VRINÆ VOLATILE.

Eſt admodum penetrans alcalinum et volatile, quod humores noſtros, iis immiſſum, exagitat et reſoluit: quare cautiſſime cum eo mercandum eſt, ne vnquam detur, vbicunque febrilis depaſcens aut colliquans ſtatus adeſt aut inſtat. Præcipue in peſtilentia ceterisque morbis malignis vitandum eſt, vbi potius acidula proſunt et figentia, quam reſolutoria ex putredine orta et ad illam ducentia.

SANGVINEM HIRCI PRÆPARANDI MODVS HELMONTIANVS.

Quo magno conſilio HELMONTIVS hoc apparatu hirci ſanguinem colligere ſtatuerit, ex ſcriptis eius facile diſci poteſt. Ad pleuritidem curandam dare ſolebat ad drachmam vnam, ipſeque ſe eodem morbo in ſenectute correptus non alio remedio

remedio curare voluit, teſtante BOERHAAVIO *elem. chem. tom I. pag.* 26. Ceterum iam olim ſanguini hirci multum tributum fuit ad ſanguinem coagulatum, quin ipſos calculos, reſoluendos. HORATIVS AVGENIVS ſanguinem ibicis, ex caprarum ſilueſtrium familia, ſingulariter commendat: ſed ineptam curioſitatem in colligendo ipſo neglexerunt veteres, et noſtra ætate plurimi eam ſe indignam exiſtimant. Præcipiunt aliqui hunc ſanguinem accipiendum eſſe cum aceto calido, et ſudorem exſpectandum: qui vſús inter plebeios quotidianus eſt, quoties lapſi ſunt aut aliam contuſionem inſignem paſſi.

SAPA VOMITORIA SYLVII.

Vocatur etiam TILEMANNI, a profeſſore medico Bremenſi, qui eam inter primos publici iuris fecit. Quantum SYLVIVS huic vomitorio tribuerit, ex variis ſcriptorum illius locis colligitur. Ipſe de vſu nos edocet *de method. med. Lib. II. cap. X. §. 41.* his verbis: *ſapam vomitoriam, ex antimonii vitro paratam, ſæpiſſime ſum expertus laudabilem. Medicamentum eſt gratiſſimum, ad piperis vel piſi mediocris magnitudinem vſurpandum in quouis liquore egris accepto.* Qui minus ſpiſſum medicamentum parauerunt, vt guttis admetiri poſſint, tres vel quatuor ſumendas præcipiunt, vt D. D. EMMAN. KOENIG *regn. miner. pag.* 62. Ceterum legi meretur obſeruatio D. D. IO. PETR. ALBRECHTI *in ephemer. N. C. Dec. II. Ann. VI. p.* 46. ipſique ſubiuncta admonitio de præſtantiſſimo vſu huius aliorumque vomitoriorum antimonialium, in admodum refracta doſi exhibitorum et aliquamdiu continuatorum.

Quæ

Quæ hic in editione penultima huius diſpenſatorii leguntur, quibusque *medicamentum blandi et admirandi effectus, præſertim in variolis et morbillis infantum et adultorum epidemiis mature et circumſpecte exhibitum* deſignatur, ſuo loco relinquo, et comparanda ſuadeo cum methodo Gundelsheimeriana eiuſmodi morbos tractandi.

SIEF ALBVM CVM OPIO.

Sief idem eſt ac Græcum collyrium. Hoc ex RHAZAE præſcripto, ſed mutatis ponderibus, et nouis quibuſdam additis, paratur. Conuenit cum illo, quod in pharmacopoea Auguſtana præſcribitur. In tribus vnciis eſt drachma opii: in vnica drachma nondum tria grana continentur. Vſus tantum eſt externus, in ophthalmia et lippitudine ſubacri pauxillum eius lacte muliebri, aut aqua quadam congrua, diluitur et tepide inſtillatur. Sed iam apud antiquos aliqui damnauerunt opium in oculos mittendum, teſte DIOSCORIDE *lib. IV. cap.* 45. ex qua cauſſa factum puto, vt collyrium hoc etiam ſine opio paratum exſtet, quo vti poſſint, qui vel non neceſſarium id præſentis morbi indoli et magnitudini credunt, vel exactiſſime cauti eſſe cupiunt.

SOLVTIO CONCHARVM MARINARVM.

Et concharum hæc ſolutio, et, quæ ſequuntur, reliquæ vſu iam pridem exciderunt, vna cum magiſteriis et ſalibus fere ex vno fundamento exortis et conſtructis. Sed conchæ et lapides cancrorum acido citri vel tartari ſubſaturæ, tamquam reſoluens ſatis bonum

num in vſu remanent: quibus ſi quis lapides percarum, ipſasque margaritas, præferre velit, habebit quidem pretioſius, ſed forte nihilo melius medicamentum. Solutio cranii humani quo valere debeat, aut poſſit, fateor me non capere.

SOTIRELLA PARVA.

Ad RAYMVNDVM MINDERERVM, medicum quondam Auguſtanum, refertur. Vſus eius eſt, vt tantillum illius cauernis dolentium dentium indatur. Vbi non proſtat, vel theriaca cœleſtis, vel cum hac mixta pilula peſtilentialis, forte idem et tantundem præſtabit.

SPECIES AROMATICAE CARYOPHYLLATAE.

Earum, quæ longo ordine ſubſequuntur, ſpecierum, ſi paucas pro decocto, et aliquas recentioris æui, demas, hæc eſt ratio, vt olim in promtu eſſent conficiendis illico, ad nutum medici præſcribentis aut cuiuſque petentis, vel electuariis, vel confectionibus ſolidis in tabulis vel morſulis. Si id vſu veniret, addebatur cuiuis ſpecierum vnciæ ſacchari libra medica, ex vnciis duobus conſtans: aliquando ſyrupus a medico deſignatus, aut mel, vel ſimul hæc duo aut tria omnino. Excogitatæ igitur ſunt in compendium rei pharmaceuticæ.

Confectio talis integra caſu recto denominabatur, e. g. Aromaticum caryophyllatum; ſubaudiendo: electuarium: vel, aromatica caryophyllata, ſcilicet confectio. Quando autem ſolæ ſpecies pronunciantur, plenum nomen ita intelligendum eſt: ſpecies (electuarii)

ctuarii) aromatici caryophyllati : aut , ſpecies (confectionis) aromaticæ caryophyllatæ. In illis, quæ a Græcis acceptæ ſunt, aut Græco more nomen acceperunt, nomen imponitur a præcipuo, vt loqui ſolemus, ingrediente, cui præpoſitio Græca διὰ, *de* præponitur : quæ quum caſum ſecundum regat, terminatio ad leges Græciæ flecti, id eſt genitiui caſus character terminare nomen debet. Sed id vno vel altero exemplo declarabo plenius, vbi nos ordo ad illa deduxerit.

Ceterum iſtæ ſpecies, quantumcunque bonæ et laudabiles, in his noſtris terris nimis valde in deſuetudinem abierunt, vt aliquæ omnino parari deſierint: aliæ, quæ forte proſtant, ipſa vetuſtate vel vires amiſerunt, vel vitium, haud raro animatum, contraxerunt : vnde merito aliquis dubitet amplius illa præſcribere , niſi vbi certiſſimus eſſe poſſit de earum integra bonitate.

Haud parum frequentior illarum vſus eſt in vrbibus imperialibus Franconiæ, Sueuiæque, terrisque conterminis ; vbi aliqui fere in exceſſum ruunt ſpeciebus cumulandis, vt raro puluis præſcribatur, cui non vnum, ſæpe plura ſimul ſpecierum genera immiſceantur : quæ res maxime ingenuum medicum, D. ROSINVM LENTILIVM, permouit, vt in ſuis *iatromnematibus capite XXXIX.* calamum in illos *diamedicos* ſtringeret. Neſcio an conſuetudo a teneris contracta, an alia quædam ratio viuendi generi implicata et innexa, efficiat, vt fere neceſſitas aliqua ibi ſit, non omnino a more iſto deflectere. Nam quum his in terris a pulueribus nitroſis et ſalinis vix quiſquam male ſe habere conqueratur : in iſto tractu plerique ab illis ventriculum moleſte affici, et cardialgia torqueri queruntur ; quos tamen melius ferunt, ſi æqua-

les

les partes, aut ſaltem tertiam, ſpecierum aliquarum addideris: vt mihi in vtriuſque ſexus hominibus ſæpe vſu venit.

Hæ autem noſtræ ſpecies aromaticæ caryophyllatæ ventriculo emendando et confortando, chylificationique iuuandæ in ſenibus, pituitoſis, frigidis, cachecticis ſatis bene conueniunt. Sacchari triplo vel quadruplo adiecto præſtat trageam ſtomachicam et viſceralem. Doſis, ſine ſaccharo, a drachma dimidia ad ſcrupulos duos: cum ſaccharo, pro modo eius additi. Pulueribus digeſtiuis, carminatiuis, pepticis addi poteſt.

SPECIES AROMATICÆ ROSATAE.

Præter aromata habent roſam rubram, quæ vires blande tonicas habet. Illis præcipue conueniunt, qui a graui morbo reualeſcunt, ad viſcera chylopœa omni modo confirmanda. Poſſunt talibus cum ſacchari quadruplo præſcribi, vt buccellæ panis toſti vino emollitæ inſpergantur, et in fine prandii aut cœnæ aſſumantur. Doſis eſt eadem, quæ præcedentium.

SPECIES CEPHALICAE PRO CVCVPHIS.

In perſonis tenerioribus et ſenſibilioribus, quæ ſæpe obtuſo aut plus minusque moleſto capitis dolore vexantur; eumque magis externis partibus quam internis inhærere ſentiunt, a talibus topicis non abſtinere debet medicus, ne quis empiricus aut muliercula aliqua ſuperueniens victi morbi et medici opinionem reportet.

*SPECIES CONTRA APOPLEXIAM D. D. AVGVSTANORVM.

Satis frequenti in vſu eſſe has ſpecies in tractu Norico memini, ſuntque diuturnis capitis affectibus frigidis, vertigini, atque apoplecticis et epilepticis inſultibus præcauendis deſtinatæ et idoneæ. Datur drachma dimidia ad integram : quamquam prophylactico ſcopo ſcrupulus etiam ſufficit, ſi vſum diu continuare placet.

SPEC. CORDIALES TEMPERATAE.

Eſt inſtar pulueris bezoardici aut Pannonii, ſimiliumque, quos ſupra vidimus. In peſtilentia aliiſque malignis præbetur, vt cor roboret et venenum ab ipſo arceat. Dari etiam poteſt illis, qui animo linquuntur, vt et graui terrore perculſis. Porrigitur ſcrupulus vnus ad drachmæ dimidium, cum vino, aceto aut aqua diapnoica vel cordiali quadam.

SPEC. DECOCTI APERITIVI MAIORIS.

Plura veteres decocta deſiderabant, quibus tot electuaria ſolutiua et cathartica diluerent, et ægris exhiberent. Tum vero iiſdem aliquando ſolis per aliquod tempus vtebantur, vt obſtructiones meſenterii aliorumque viſcerum, ſiue vere præſentes ſiue ſuppoſitas, reſerarent, vt ſubiungendæ purgationes vias patulas materiamque præparatam et mobilem inuenirent. Atque tunc fere ſyrupos, tam gratiæ, quam

ad locum debitum deducendi medicamenti cauſſa, adiungebant.

Quoniam vero decocta iſtiuſmodi aquoſa facile ſitum contrahunt et corrumpuntur : ſpecies tantum in promtu ſeruat pharmacopœus, vt vſus tempore illico decoquere eas poſſit, ad vnciam vnam addendo aquæ libram vnam. Sed rarius hodie expetuntur tam diffuſæ medicinæ, poſtquam ſæculum hoc per chymiatros exiguis doſibus adſuefactum eſt, et infuſorum vſus frequentari cœpit.

Maius dictum hoc videtur, non ob multitudinem ſimplicium, quæ ad id requiruntur, ſed ob maiorem operationem, quæ ab eo exſpectantur, quippe agarico ad fortius operandum armato.

SPEC. DECOCTI APERITIVI MINORIS.

Iiſdem fere intentionibus, quibus maius, deſtinatum eſt, ſed, ob blandiorem operationem, minus vocari meruit. Hoc minus per ſe adhiberi poteſt aluo leniendæ, additis, ſi opus eſſe videtur, ſyrupis. Paſſulæ, ficus, pruna et polypodium ipſi inſunt, inſuperque ſenna: quæ duo poſteriora longam decoctionem non ferunt ſine virium diſpendio, quare conſultum eſſet vel ſennam cum polypodio omittere in ſpecierum concinnatione, vel decocto iam parato nouam ſennæ portionem, quando ab igne remouetur, addere.

SPEC. DECOCTI CARMINATIVI.

Nihil quidem vetat decoctum hoc bibere, quod nec exiguum fructum pollicetur : ſed internus

vſus, quantum obſeruare licuit, abiit in deſuetudinem, ſolisque enematibus hodie inditur hoc decoctum ad flatulentiam et colicam a cauſſa frigida deſtinatis.

SPEC. DECOCTI EMOLLIENTIS PRO ENEMATE.

Vſus, cui commodiſſimum eſt decoctum, patet ex titulo. Scilicet vbi aluus leniſſime ducenda eſt, tale decoctum ſufficit, quatenus fæces induratas probe emollit: præſertim olei quantitate debita accedente. Acrior et potentior clyſter fiet additis electuariis, ſale et aliis, quæ alio loco docenda ſunt.

SPEC. DECOCTI FLORVM ET FRVCTVVM.

Eſt decoctum polychreſtum, quod non ſolum moderate refrigerat, verum etiam acres humores obtundit et ad euacuationem aptiores reddit, vnde in variis pectoris et viſcerum abdominis affectibus commodum locum inuenit.

SPEC. DECOCTI LIGNORVM.

Expetitur ad curandos illos, quorum humores venereæ luis veneno infecti ſunt. Jungendus eſt vſus mercurialium aut antimonialium. Sed et præter hanc luem locum inuenit in aliis affectibus ab impuritate humorum ortis, vel cum illa iunctis, vt ſcabie, lepra, vlceribus antiquis.

SPEC. DECOCTI PE-CTORALIS.

Conſtat ex incraſſantibus, diſcutientibus atque bechicis. Modeſte adhibitum expectorationem iuuat, quare tam in pleuritide et peripneumonia ad opem vocari aliquando debet, quam in catarrhalibus moleſtiis, præſertim vbi tuſſis vehemens a tenuitate et acrimonia ſeri, in bronchiis ac ſummis faucibus ſecreti et excreti, pendet, conſpicuum ſæpe fructum adfert. Non diu talibus inhærendum eſſe, aliunde conſtat.

SPECIES DIACALA-MINTHAE.

Id eſt pulueres, qui ingrediuntur electuarium de calamintha. Illud a GALENO multis locis valde laudatur, vtpote non modo ventriculo et inteſtinis proficuum, verum etiam vrinæ ac menſibus ciendis vtile, ac morbis diuturnis, ſenſim puta emendata chyloſi, hincque meliori ſanguine reddito, percurandis. Sed noſtræ deſcriptiones a Galenica, cuius exemplaria mendoſa hic videntur, diſcedunt, quoniam piperis nimis exceſſiuam quantitatem deſiderant. Non dubito, quin continuato vſu aliquid boni in phlegmaticis, ſenibus, pituitoſis efficere poſſint: fereque mihi videntur hæ ſpecies accedere ad pulueren ari compoſitum, quem ſupra vidimus. Dari poteſt ſcrupulus vnus.

SPEC. DIACINNAMOMI.

Qui *diacinnamomu* ſcribunt, ſequuntur declinationis Græcæ legem in voce mere Græca: id quod in ſtatim ſequente *diacrocu* etiam obſeruatum eſt. Sed linguæ pharmacopœorum multa indulgentur. Sunt autem ſtomachicæ, ſenibus, tarde concoquentibus, flatulentis ſatis idoneæ, præcipue ſi a paſtu, trageæ inſtar, addito ſaccharo, cum buccella panis toſti vino emolliti aſſumantur.

SPEC. DIACROCV.

Ab Arabibus nobis tranſmiſſæ ſunt aliquot compoſitiones, quibus *diacurcuma* nomen eſt. MESVE, vbi theriacam et trypheras poſuerat, tamquam dignitate his proximas, ponit diacurcumam maiorem et minorem, vt in mea editione ſcriptum eſt. Quum vero iſtud, quod noſtro æuo vocatur curcuma, radicis genus ab vtraque abſit, varii varias eius rei rationes reddiderunt. Mea coniectura eſt, medicamento huic nomen abſolutum fuiſſe *κρόκωμα*, id eſt *croco tinctum et imbutum.* Nam verbum *κροκόω*, et hinc deductum *κροκωτὸς* in vſu ſunt. Id nomen, vna cum ipſa re, a Græcis ad Arabes tranſiit, et ab his nobis relictum et transmiſſum eſt per interpretes linguarum vſu parum inſtructos, qui quum tam multis medicamentis præpoſitionem *dia* viderent præpoſitam, hinc eandem æque abſurde præfixerunt, quam *diacatholicon* pro *catholicon* effinxerant. Quod autem *curcuma* pro *crocoma* fecerunt, ex Arabiſmi indole factum eſt, quippe cui non conuenit, vt muta cum liquida vnica tantum vocali ſubſequente efferatur:

tur: legerunt itaque *corcoma:* et quum *o* et *u* vocales eodem ſigno ſcribantur, atque certæ et perpetuæ leges de ſic vel aliter pronunciando deſint, *curcuma* enata eſt, longe certe minori diſtorſione, quam infinita alia ſubierunt, vt Serapion in Alſaharauium, cet. IOAN. COSTAEVS ad MESVEN, *p. m.* 112. *b.* iam coniicit recte vocari *diacrocoma*, quem hac digreſſione iuuare volui.

Noſtra deſcriptio exhibet illam, quæ *diacurcuma magna* apud Meſuen dicitur, qui de ea promittit, *quod ventriculi, hepatis, lienis morbos frigidos, et ob id diuturnos, ſanet: et quæ his ſuccedunt ſymptomata, obſtructiones, hydropem, cachexiam, colorem corporis fœdum, humorum in ventriculo corruptelam, a flatibus craſſis inflationem, dolorem quoque renum et veſicæ a cauſſa frigida vel obſtructione mitiget, vrinamque prouocet.* Doſin præſcribit a drachma vna ad tres, ſcilicet ſi cum mellis triplo in formam electuarii compoſitum ſit: abſque melle igitur a granis XV. ad XXXXV.

SPECIES DIAIREOS.

Ad ſpecies diatragacanthi adduntur ſaccharum cantum et rad. ireos Florentinæ, quæ totius compoſitionis dimidium efficit. Eſt hæc radix digeſtiua et incidens inque tenera ætate vſque ad effectum vomitorium procedit: quare huic ſeorſim hæ ſpecies proſunt in pectoris oppletione et minitante ſuffocatione, ad ſcrupulum dimidium exhibitæ. In adultis drachmæ dimidium præberi debet. Facile rancescit, ſi ſpecies diatragacanthi cum ſeminibus paratæ ſint: quæ tamen pluribus locis, ob hanc ipſam cauſſam, omitti ſolent.

SPECIES DIAMARGARITI CALIDI.

Secundum analogiam ſcribendum eſſet *diamargariton*: ſed vſu diſpenſatoriorum valet alterum. Margaritas medicinæ intruſerunt Indi, ab his Arabes acceperunt, ab Arabibus ad nos propagatus eſt vſus. Sed fere frequentiores ſunt frigidi quam calidi electuarii ſpecies. Ad frigidos vniuerſi corporis affectus, animi defectionem, ſuffocationem hyſtericam et ventriculi imbecillitatem commendantur. Datur ſcrupulus vnus.

SPECIES DIAMARGARITI FRIGIDI.

Sunt refrigerantes et ſubadſtringentes. Longo morbo deiectis et imbecillitate languentibus ad priſtinum robur recuperandum commendantur. Ob ſemina frigida adiecta non bene ferunt ætatem. Dari poſſunt ad drachmam dimidiam: ſed plerumque complementi vel ornamenti cauſſa aliis pulueribus adduntur pauca tantum grana.

SPECIES DIAMBRAE.

Ad omnes affectus frigidos conueniunt: ſeorſim vero vertiginoſis commendantur. Sunt, qui in hoc morbo commendant has ſpecies cum caſtoreo mixtas pro errhino adhibere. Si moſchus et ambra deſint, vt in incompletis, dari poteſt ſcrupulus vnus: completæ raro ſolæ exhibentur, et non niſi ſenibus et frigidis.

SPE-

SPECIES DIAMOSCHI DVLCIS.

Duplex ex moſcho electuarium deſcripſit MESVE *in antidotario*, dulce et amarum. Illius ſunt hi puluerес, ſeu hæ ſpecies, quæ, quoties vſus poſtulat, quadruplo mellis excipi et permiſceri poſſint. Dicata eſt illa confectio cerebri frigidis affectibus, melancholiæ, vertigini, paralyſi, ſpaſmis, cordis palpitationi, ſpirandi difficultati. Orientales populi muſco valde delectantur, videnturque illum facile ferre: nam omnes fere Arabes hanc, aut leuiter tantum differentem, confectionem ex muſco frequenter commendant. Dandam præcipiunt duabus ante cibum horis.

Amarum fit, quando his ſpeciebus additur aloe cum abſinthio, roſis et caſtoreo: ſed id vſu excidit, ob ingratiſſimum ſaporem.

SPECIES DIANTHOS.

Florem roriſmarini per excellentiam vocabant olim τὸ ἄνθος, id eſt, *florem*. Melius itaque ſcribemus cum D. D. AVGVSTANIS *dianthon*, vel, quod aliis placet, *dianthus*. Sunt aromaticæ, carminatiuæ et cephalicæ: commendantur triſtibus et animi deliquium crebro patientibus, vt et catarrho affectis, ac omnibus imbecillibus. Dari poteſt ſcrupulus ad drachmam dimidiam.

SPECIES DIAPENIDIORVM.

Multum conueniunt cum ſpeciebus diatragacanthi, ſed ob addita aromatica ſunt aliquantum calidæ.

Tuſ-

Tussiculosis conueniunt: sed oportet recens esse paratas, nam rancorem facile contrahunt ob semina et fructus, atque verminant ob amylum. Dantur a drachma dimidia ad integram.

SPEC. DIARRHODON ABBATIS.

Melius scribetur ABBASI, quia auctorem habet MEBN ABBASVM Persam, qui vulgo *Haly Abbas* dicitur. Est satis antiqua et celebris confectio, quam vel forma molli vel solida frequenter adhibebant veteres. Est ex aromaticis et quibusdam resoluentibus et aperientibus concinnata, quare hepaticis et ictericis prodest. Bene facit a morbo reualescentibus ad concoctionem ac chylificationem iuuandam viresque erigendas. Sæpe correctorii loco adduntur hæ species infusis vinosis purgandi scopo præscriptis: quo scopo etiam extracto panchymagogo Crollii adiiciuntur. Dantur species ad drachmam dimidiam. Semina quatuor frigida plerumque hodie omittuntur, quo longius durare possint sine vitio.

SPECIES DIATRAGACANTHI FRIGIDI.

In species diaireos assumuntur. Cum illis, quæ diapenidion inscribuntur, in plerisque conueniunt. Ne facile rancescant, multis locis semina quatuor frigida omittuntur. Si recens paratæ sint, salutariter exhibentur tussientibus cum calore lento exsiccatiuo. Multum sacchari habent, quare ad drachmam integram dari debent, hæcque quantitas partitis vicibus ori ingerenda est, vt ab affluente saliua dilua-

diluatur, lenteque deglutiri possit: quam admonitionem veteres diligenter inculcant.

SPECIES DIA'TRION PIPEREON.

Nomen habet a tribus piperum generibus, quæ basin medicamenti constituunt Paullo simplicius, quam hic legitur, GALENO in vsu fuit, qui laudes eius celebrat *de sanitate tuenda VI. cap. 5. p. 344. ed. Lat. Bas.* Non solum tarditatem et debilitatem ventriculi emendat, verum etiam flatulentias aufert et mucum tenacem incidit et attenuat.

SPECIES DIATRION SANTALON.

Santala calorem æstuantis hepatis corrigere veteres vno ore perhibent. Dabant igitur has species lenta febre laborantibus, ictericis, hydropicis, ad drachmam dimidiam et vltra.

SPECIES DIATVRBITH cum RHABARBARO.

Antiquis erant commendatissimæ ad vermes exturbandos: sed fere semper cum sufficienti sacchari quantitate in morsulos vel tabellas redigebant.

Hodie, postquam ialappa vbique exstat, longe vtique securior et benignior, raro expetuntur hæ species. Morsuli dabantur ad drachmas tres, quinque, sex pro ratione ætatis: sine saccharo scrupulus vnus ad drachmam dimidiam est dosis sufficiens.

Cum-

Cumque ipſæ ſpecies alicubi ſine hoc, alibi cum ſaccharo paratæ proſtent, pro eo doſin admetiri oportet indiuidui annis et viribus congruam.

SPECIES DIAXYLALOES.

Eſt a MESVE accepta, qui ad morbos cordis, ventriculi et hepatis frigidos, hasque partes roborandas confectionem inde paratam commendat, id eſt ad ſyncopen, cordis palpitationem, concoctionem debilem ac deprauatam. Porro etiam animo exhilarando eaſdem prodeſſe ſcribit, et halitui oris emendando: quo vltimo ſcopo ſi quis expetat, debet adhibere completas et in tabellas cum ſaccharo redactas. Per ſe dantur a ſcrupulo ad drachmam dimidiam.

SPECIES PRO EPITHEMATE CAPITIS.

Deſtinatæ ſunt vſibus externis, atque a ſpeciebus pro cucupha hoc differunt, quod hæ ſiccæ inſuuntur ſindoni in formam mitræ redacto: noſtræ autem linteo etiam inuolutæ irrorari ſolent aceto quodam aut aqua ſpirituoſa, vt theriacali, ſpiritu lauendulæ, roſarum, aut denique, quod conſultiſſimum, ambobus mixtis, et circum frontem ac tempora ligari.

SPECIES PRO EPITHEMATE CORDIS.

In morbis malignis officioſi medici debent, ne a mulierculis præueniantur, aut culpam neglecti

ægroti

ægroti apud imperitos vel æmulos incurrant, hoc etiam auxilii genus non omittere; tanto magis illis locis, vbi consuetum est cor omni modo munire. Vel sicci sacculi appenduntur, vel, quod melius, irrorati vino generoso, aqua spirituosa, aceto quodam, aut citri succo. In pharmacopœis Norica et Augustana describitur *aqua pro epithemate cordis*, quæ seorsim huic sedulitati conuenit.

SPECIES PRO FOMENTATIONE.

SPECIES PRO GARGARISMATE.

Vsum titulus ipse indicat.

SPECIES DE GEMMIS FRIGIDÆ.

Inter delectabilia electuaria per Arabes ad nos transmissa illud de gemmis frigidum, cuius hæ sunt species, tantum eminet, quantum luna fulget inter stellas minores. Valet, commendante MESVE, ad frigidos affectus cerebri, cordis, ventriculi, hepatis, vteri, et quidem efficacissime. Melancholicos sine caussa manifesta tristes, timidos, solitarios, iuuat, exhilarat, ad mores probos inuitat, emendat cordis tremorem, syncopen, ventriculum a frigida intemperie imbecillum roborat, et coctione meliore reddita corpus bene coloratum et odoratum efficit, ob id sumtum regibus et magnatibus magis in vsu est. Hactenus euangelista medicorum.

Nostro

Noſtro æuo ſatis parum tribuitur his ſpeciebus, et raro, niſi ornamenti et moris gratia adduntur medicamentis pro diuitibus et magnatibus præſcriptis. Doſis integra eſt a ſcrupulo ad drachmam dimidiam: ſic effectum adſtrictorium ſatis edent. Cum aqua cordiali aut vino generoſo præbendæ ſunt.

SPECIES DE HYACINTHO.

Ex his, addito ſyrupo conueniente, paratur *confectio de hyacintho*, quam ſuo loco vidimus. Hæ ſpecies ab illuſtri STAHLIO, ipſumque ſequentibus, crebro adhibentur ſcopo adſtringendi, temperantibus pulueribus addendæ, in hæmorrhagiis aliiſque fluxibus nimiis compeſcendis: ſed vix vltra quatuor vel quinque grana aſcendunt.

SPECIES HIERÆ PICRÆ SIMPLICIS.

Pleraque de his dicenda prælibauimus ſupra, vbi de *electuario hieræ picræ* agebamus. Vix quiſquam hodie dandis his ſpeciebus gratiam conſequetur ob amariſſimum ſaporem. Angli in vſu frequenti habent *tincturam hieræ*, quam et *ſacram* vocant, parantque ex ſpecierum harum vncia vna, coccionellæ ſcrupulo vno, quibus vini albi libras duas cum dimidia affundunt. Dant hanc tincturam ad vncias duas, et, ſi potentius euacuare cupiunt, ſyrupi de ſpina ceruina vnciam vnam ad prædictas duas adiiciunt: de quo vide ſis *pharmacopœam Bateanam* et FREINDII *comment. de febribus pag.* 205.

SPE-

SPECIES HIERÆ PICRÆ
RHASIS.

Forte non aliam ob cauſam poni debuerunt, niſi vt pharmacopœus illis ad concinnandas *pilulas cocchias* vtatur.

SPECIES PRO INFVSO
APERITIVO ET HYDRAGOGO.

Sunt ex incidentibus, diureticis et laxantibus concinnatæ. Videntur optime infundi aqua feruida, qua emollitis affundi deinceps vinum poterit, atque poſt macerationem ſufficientem per aliquot dies potari in cachexia, œdematibus et hydrope.

SPECIES PRO INFVSO
LOCO THEE.

Quum noſtro ſæculo infuſum theæ frequentiſſimum ſit, varia a variis propoſita ſunt vel ſimplicia, vel compoſita, quæ poſſent exotico thee ſurrogari. Singulari libro hoc argumentum tractauit COHAVSENIVS. Quod ad has ſpecies attinet, inſunt ipſis varia vegetabilia tonica, traumatica, reſoluentia, vterina, carminatiua, diuretica, quæ infuſum non inefficax reddunt. Sed vereor, vt laudatiſſimas theæ veræ vires tam blande anodinas æquare, et in quouis ſtatu valetudinis æque ſecure ac fructuoſe adhiberi poſſint.

SPECIES LÆTIFICANTES
GALENI.

Sunt ſpecies, ſeu pulueres, ex quibus conficitur *electuarium lætificans* Galeno adſcriptum a NICOLAO ALEXANDRINO, cuius tamen nemo potuit veſtigium apud ipſum inuenire. Perhibetur animum exhilarare, vires inſtaurare, corporis malum habitum emendare et halitum oris commendare. Sunt ſatis vniuerſales hæ ſpecies, poſſuntque in plerisque chronicis affectibus vel per ſe dari ad ſcrupulum vnum, vel pulueribus aliis adiungi.

SPECIES LÆTIFICANTES
RHASIS.

Sunt iterum ſpecies *electuarii lætificantis*, quod RHASES deſcriptum reliquit *ad Almanſorem IX. cap.* 13. Idem, quod de præcedenti dictum eſt, præſtare perhibentur.

SPECIES LIBERANTES.

Celebre olim nomen conſequuta eſt *confectio liberans*, ſcilicet a peſte et morbis malignis; atque huius ſunt ſpecies hæ. Qui in nomine huius et præcedentium duarum medicinarum ſcribunt *lætificantis*, *liberantis*, analogiam grammaticam melius tuentur: ceteros excuſat vſus, temporis diuturnitate confirmatus. Tamquam in vnam hic confluxit, quicquid pulueres bezoardici et alexipharmaci veteres, vt et Pannonius ac Mantuanus habent. Eſto

de

de his idem iudicium. Vtinam fidem liberent, quem titulo faciunt.

SPECIES LITHONTRIPTICÆ.

Vocatur ab aliquibus *lithontribon*, nomine Græco, τὸν λίθον τρίβον, quod calculum comminuit. De vsu hoc promittitur : *Præclarum ad indigestionem stomachi ex frigiditate, iliorum lumborumque dolores compescit, lapides in renibus et vesica potenter confringit, et inde mirabiliter expellit. Stranguriam et dysuriam e vestigio soluit.* Vtinam sint ex omni parte veræ laudes. Si in electuarium redactum est, veteres dare præcipiebant drachmas duas aut tres. In puluere igitur scrupulus ad drachmam dimidiam erit iusta dosis : iungendo vehiculo commodo et circumspecte continuando.

SPECIES MORSVLORVM IMPERATORIS.

Sunt aromaticæ, quæ in frigidis ventriculi vitiis præberi possunt per se, vel addi digestiuis et pepticis.

SPECIES PRO PEDILVVIO.

Decoquuntur aqua, idque decoctum infunditur frigidæ, vt teporem conuenientem consequatur.

SPECIES PLERIS ARCHONTICON.

Vix alibi maior de nomine dubitatio occurrit, quam in denominandis et recte ſcribendis his ſpeciebus. Veteres fere ſcribebant *Pleriſargicon*, aut *pliriſarcoticum:* nullo commodo ſenſu. Doctus ſane medicus et profeſſor Tubingenſis LEONARDVS FVCHSIVS, qui NICOLAVM MYREPSVM ALEXANDRINVM e Græco Latinum nobis dedit, plenum nobis nomen reſtituit, πλήρης ἀρχοντικὴ ἀντίδοτος. Pro hoc, alia ellipſi, dictum fuit πλῆρες ἀρχοντικὸν. i. e. *antidotus plena principalis, plenum principale* (ſubaudi *electuarium.*) *vide ſection. I. num.* 149. Non autem placet, quod Latine vertit, *implens principale:* mallemque *principale completum.* Scilicet vt nos frequentiſſime ſpecies inſignimus completas et incompletas: de quo hic non videtur neceſſarium multa diſſerere.

Eſt longa compoſitio, quicquid fere eſt aromatici et cordialis complexa. Commendatur ad calorem ventriculo conciliandum, cardialgiam, vomitum ciborum, et pulmonum grauitatem. Conferre etiam perhibetur iis, qui ex longo morbo penitus extenuati ſunt, plurimamque imbecillitatem contraxerunt, quos, concoctionem et chylificationem iuuando, ac excretiones promouendo, corroborat.

SPECIES PLVRIVM HERBARVM.

Sunt plurium herbarum inciſarum farrago, deſtinata, vt videtur, plebeiorum deſiderio, qui a pharmaco-

macopœo petunt ſpecies pro infuſo vinoſo, quod curationis vernalis cauſa bibant.

SPECIES PLVRIVM HERBARVM D. D. STAHLII.

Videtur et hæ deſtinatæ infuſis ſimilibus pro hypochondriacis.

SPECIES ROSATÆ NOVELLÆ.

Etiam hæ ab vltimis Græcis ad nos ſunt transmiſſæ per NICOL. MYREPSVM *ſect. I. num.* 204. non ſine ratione dubitandi de nominis cauſſa. Efficax prædicatur antidotus inde parata ad calorem ſtomachi, et ad iecinoris pulmoniſque ſiccitatem, ſitim, vomitum, ſudores colliquantes. In genere omnibus diuturno morbo extenuatis, viriumque defectu laborantibus, admodum auxiliari perhibetur.

SPECIES PRO SACCVLIS ODORIFERIS IN PESTE.

Dirus morbus, et plerumque humanis viribus longe ſuperior, peſtilentia, omne præſidiorum genus adferre ſuadet, ne quicquam videamur omiſiſſe. Huius ſunt cenſus ſacculi odoriferi, a ſanis præſeruandi, a laborantibus et correptis vires communiendi, cauſſa appendendi. Vtinam multum proſint.

SPECIFICVM ANTIFEBRILE CROLLII.

Sunt conchæ calcinatæ, adeoque in veram calcem viuam mutatæ. Quando diu ſteterunt commiſtutæ, ſuperficiem tegit efflorescentia quædam ſalina, quæ in ventriculum aſſumta aliquando graues cardialgias concitare notata eſt: quare illam remouere ſubinde iuuat, quo facto non adeo ineptum euadit remedium, cui b. D. D. STAHLIVS alicubi, (locus requirenti nunc non ſuccurrit) teſtimonium bonæ operationis tribuit. Datur drachma dimidia ad duos ſcrupulos inſtante paroxyſmo febrium intermittentium.

SPECIFICVM CEPHALICVM D. D. MICHAELIS.

Eſt celeberrimum remedium antepilepticum et antiſpaſmodicum. Vltra dimidiam partem facit cinnabaris, cuius forte minui quantitas, ſine virium iactura, poſſet. Eſt in officinis Norimbergenſibus *puluis epilepticus rubeus*, huic ſpecifico non multum diſſimilis, ſed in quo minor eſt cinnabaris quantitas: quem non minori tamen fructu adhibitum ſcio. Datur a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam: quumque tot iam annis per vniuerſam Germaniam vtiliſſime in morbis infantum ac adultorum adhibeatur, ſatis refutat crudam illam accuſationem non neminis, qui publice ſcripſit medicos cinnabarin tenellæ ætati præbentes eodem loco habendos eſſe cum illis, qui infamem puluerem ſucceſſionis diſpenſant.

Excell.

Excell. D. D. HERELIVS, medicus Norimbergenſis, amicus cui plurimum debeo, ſolet hunc puluerem cum mercurio dulci iungere, ad blandam tutamque ſaliuationem excitandam: quæ methodus tunc præcipue laudanda eſt, quando mercurius purgandi ſtimulum exſerit: de quo legatur *commercium litterarium phyſico-medic. Norimberg. ann. I. ſpec. LII. p.* 412. Obiter notamus ex hac deſcriptione illuſtrari, quid ſibi velit in cinnabari natiua præparanda deſiderata et præſcripta *aqua calamitatis*, quam tonitruam eſſe diſcere nunc licet.

SPECIFICVM STOMACHICVM.

Quum auctor PETRVS POTERIVS intelligi noluiſſet, dignus erat qui negligeretur, niſi ſæculo ſuperiori, arcanorum vltra modum cupido, placuiſſet tanto ſolertius requirere, quod ſollicite celabatur. Gratulandum eſt noſtro æuo, quod ſpernere lucripetarum arcana didicit, atque vt omnes eo tramite pergant, hominumque ſibi ſolis natorum ſordes contemtu vindicent, optandum videtur; qua mente præditis me ſemper adiungam.

Quod in officinis hoc nomine nunc exſtat, in alia pyxide eſt ſub nomine *antimonii diaphoretici martialis*; non contemnendum illud quidem tonicum, aut adſtringens, pro adhibendi modo: ſed tanto titulo minus certe dignum, quam ſine ambitioſo titulo incedens *puluis ſtomachicus Birckmanni*.

SPERNIOLA CROLLII.

Quid sibi nomen velit, equidem me nescire profiteor, cum multis aliis, quibus chemici Paracelso-Helmontiani denominationem ex lepido suo ingenio imposuerunt. Auctor promittit de hac sua medicina, parum hodie vsitata, insignes vires in hæmorrhagiis spontaneis, vbi omnia irrita alia fuerunt, compescendis, si grana tria vel quatuor cum aqua bursæ pastoris propinentur: aut auellanæ dimidium in aqua plantaginis exhibeatur. Vide *basilic. chymic. pag.* 236. Equidem experientiæ assurgo: sed ratio a myrrha, quæ potissimam pulueris partem constituit, expectare hoc non iubet: nec diserta expertorum testimonia succurrunt.

SPIRITVS ABSINTHII.

Propositus est ad exemplum, quod sequatur pharmacopœus in parandis spiritibus ex herbis et summitatibus. Desiderantur autem tales ab aliquibus in parandis singulorum vegetabilium essentiis, vt loco menstrui inseruiant. Illi qui a vegetabilibus oleo refertis abstracti sunt, illam sulphuream eorum partem in se fouent, adeoque longe magis calidi et expansiui sunt, quam simplex vini spiritus. Merito autem deliberatur melioresne fiant essentiæ sic paratæ: quum sanguinem fortius commoueant, caputque magis feriant. Id vero quum essentia absinthii per se satis faciat in iuuenibus et plethoricis: talis sane essentia, cum hoc spiritu facta, minus erit apta. Quibus aliis vsibus expetatur, aut inseruiat, non iam succurrit.

SPIRITVS ACETI.

Vide ſupra *acetum deſtillatum*: nam præſcripto modo nihil aliud impetratur.

SPIRITVS ÆRVGINIS.

Eſt fortiſſimus ſpiritus aceti, quem ars valet ſiſtere. Interne datur, dilutus aqua vel vino, ad appetitum excitandum, vt et ſcopo reſoluendi et aperiendi. Sufficiunt guttæ quinque ad decem vel quindecim. Chemicos vſus heic attingere non licet.

SPIRIT. ÆRVGINIS COMPOSITVS.

Ipſiſſimus eſt, qui ſub notiori titulo *ſpiritus aſthmatici* mox obueniet.

SPIRIT. ANGELICÆ.

Imbutus eſt oleo radicum angelicæ. Saccharo diſtemperatus tempore graui catarrhali vtiliter bibitur ad vnciam dimidiam. Additur etiam mixturis et potiunculis diaphoreticis.

SPIRIT. ANISI.

Etiam hic ſpiritus, ſaccharo diſtemperatus, bibitur ſcopo carminatiuo et pectorali. Additur potiunculis pectoralibus. Succo ireos cæruleæ noſtratis hydropico ad expurgandas aquas præbendo vtiliter

ter admiſcetur, quo facto longe mitius agit, quam per ſe datus.

SPIRIT. ANTAPOPLECTICVS ET EPILEPTICVS.

Titulus docet, quid exſpectari de hoc præparato debeamus, idque *excellentis virtutis compos* in fine prædicatur. Suſpendo iudicium, quum nec ipſe vmquam adhibuerim, nec ab aliis adhibitum cum fructu viderim.

SPIRIT. ANTIFEBRILIS.

Eſt ſpiritus acidulus clyſſo antimonii paria facturus in acidulandis potiunculis, quibus febri laborantium ſitim ſolemur.

SPIRIT. ANTIMONII.

Vide ſupra *clyſſum antimonii.*

SPIRIT. ANTIPARALYTICVS.

Parum differt ab aqua apoplectica: puto etiam vſum vtriuſque eundem eſſe debere.

SPIRIT. ANTISCORBVTICVS.

Magnæ aduerſus ſcorbutum efficaciæ prædicatur in fine deſcriptionis. Diſtemperari debet aquis et ſucco citri, ſi interne dare volumus: ad oris collutio-

lutionem decoctis additur, aut melle aquilegiæ temperatur.

SPIRIT. ANTISPASTICVS.

Parum differt a ſpiritu antiparalytico: poteritque, credo equidem, alter alterius loco adhiberi.

SPIRIT. APERITIVS PENOTI.

Vires eius inſignes perhibentur in expediendis infarctibus et obſtructionibus viſcerum. Dandus eſt ſcrupulus vnus ad drachmas duas vel tres in liquore conuenienti. Paſſim hodie iam obliuioni datur.

SPIRIT. AROMATICVS OLEOSVS.

Eſt quaſi aliquod ſal volatile oleoſum; ſed non adeo multum olei in ſe recipit, vt nimia caliditas extimeſci debeat. Odorando adhiberi poteſt, et interius etiam, modeſta manu, in affectibus frigidis propinari, vt ſalia volatilia.

SPIRIT. ARTHRITICVS.

Parum diuerſus erit a ſpiritu antapoplectico et aperitiuo Penoti. Noſtro æuo parum probantur iſtiusmodi deſtillata, in quibus, ſi vitrioli et tartari ſpiritum cupimus, additorum vegetabilium vires peſſundare neceſſarium eſt: ſi has conſeruare ſtudemus, illis oportet ſuperſedere.

SPIRIT. ASTHMATICVS.

Idem omnino est, qui supra sub nomine sp. ærugi-
nis compositi occurrebat. Refertur ad auctorem D. D MICHAELEM. Est acido-volatilis penetrans adeoque satis resoluens et aperitiuus: quare non in asthmate solum, sed ceteris etiam oppletoriis pectoris affectibus satis proficuus deprehenditur. Dilui debet aquis pectoralibus. Dantur guttæ decem, ad triginta.

SPIRIT. BENZOINVS.

Non memini vsus interni siue spiritus, siue olei. Externus est ad fragranti odore imbuendam suppellectilem additis aliis odoratis. Oleum, quod alii affusa aqua rosarum parant, nitidam cutem reddit, abstergit porriginem, et vlcera sanare perhibetur.

SPIRIT. BEZOARDICVS ET EPILEPTICVS.

Non satis capio sensum descriptionis datæ. Obscurum enim est, debeatne spiritus cornu aut vngulæ alces et cornu cerui assumi, an eorum rasura. Vltimum videtur nimis absonum, quum destillans spiritus baccarum iuniperi nihil ex his auferre queat. Si vero spiritus intelliguntur, aliquantum accedit ad celebrem spiritum bezoardicum D. D. BVSSII, quem illustris archiater et Regis Borussiæ consiliarius intimus D. D. HOFFMANNVS multum in febribus, et multo cum fructu, adhibet:

cuius

cuius *obſeruat. phyſico-chem. lib. II. cap. XXVIII.* videri debent, vbi rectior elaboratio docetur.

SPIRITVS CARMINATIVVS SYLVII.

Deſcribit eum auctor *prax. med. lib. I. cap. IX.* §. 29. et commendat ad nauſeam, eructationem, vomitum. Diluere ipſum iubet aquis menthæ, fœniculi, roſarum, in quibus ſaccharum ſolutum ſit, ſicque cochleatim crebro præbere. Addit ibidem formulam mixturæ talis, quam imitari in præſcribendo iuuabit.

SPIRITVS CARMINATIVVS DE TRIBVS.

Eſt miſcela ſpiritus nitri et tartari clyſſiformis, ſpiritu vini excepta, ad naturam ſpiritus nitri dulcis accedens. Satis benignum eſt medicamentum et in torminibus ac flatulentiis ſedandis ac diſſipandis proficuum. Dari poſſunt guttæ XXX. et amplius.

SPIRITVS CEPHALICVS.

Eſt ipſiſſimum illud medicamentum, quod LEMORTIVS in *collectan. chym. Leidenſibus cap.* 177. deſcribit et vocat *elixir egregium antiepilepticum.* Prudenter hic omiſſa ſunt, quæ ille auctor addere iubet, vitriolum lunæ, flores vitrioli martis et flores iouis. Non multum diuerſus eſt, quem

in

in officinam Altorfinam quondam introduxit Excel. D. D. BRVNO, ſub titulo *ſpiritus caſtorei compoſiti*: cuius genuinam deſcriptionem tanto libentius aliqui hic legent, qui pro eo vtuntuur iſto, quem pharmacopœa Londinenſis ſub eodem titulo exhibet. Eſt autem, qualem a pharmacopœo dexterrimo et honeſtiſſimo Dom. KIRSTENO accepi:

Rec. herbæ ſaluiæ cum floribus
roſmarini c. fl.
florum lauendulæ ana Mj.
rad. pæoniæ vnciam dimidiam,
caſtorei optimi vnciam,
ſp. vini rectificatiſſimi vncias XII.
ſp. ſalis ammoniaci ſeſcunciam
ſpir. tartari, vncias tres.

Poſt digeſtionem deſtilletur per balneum maris pars ſpirituoſa, cui adde

olei ſuccini
rutæ, ana guttas XX.
camphoræ drachmam vnam.

Mixta ſerua ad vſum.

Atque hoc ſpiritu, quo et excellentiſſimi collegæ mei frequenter vtebantur, crebro vſus ſum in epilepſiis puerorum et adultorum, vt et hyſterica ſuffocatione et torminibus, cum optatiſſimo ſucceſſu. Optime miſcetur et cochleatim exhibetur. Doſis non magna eſt drachma dimidia adulto. Etiam odorandus exhibetur feminis hyſtericis. Non dubito

bito, quin secundum nostram descriptionem paratus paria facturus sit.

SPIRIT. CERASORVM NIGRORVM.

In Sueuiæ tractu ad lacum Bodamicum magna copia optimi et sane delicati huius spiritus paratur, hincque longe lateque ad vicinos exportatur, qui dulcedine eius illecti aliquando satis multum eo se implent. Tribuuntur ipsi vires cordiales aut cephalicæ, sed maiores, quam spiritus alius legitimo tempore ac modo adhibetur, vix possidebit.

SPIRIT. CEREBRI HVMANI.

Mihi non licuit videri fructum medicinæ huius, credo autem introductam esse ab aliquo, qui singulares vires antiepilepticas ab ea sibi præfigurauit. Si quis contendat talibus carere posse et debere pharmacopolium, huic me facile adiunxero.

SPIRIT. COCHLEARIÆ.

Forte solus præstat, quicquid ab antiscorbutico spiritu exspectatur. Nescio autem an descriptio plena sit. Me quidem tenet persuasio, præscripta methodo nil nisi aquam acquiri posse: quum vero in subiuncta nota fermentatitius spiritus dicatur, suspicor admonitionem de fermento addendo, et ceteris huc spectantibus, incaute omissam fuisse. Alter modus per repetitam abstractionem vt commodior est, sic spiritum fermentatitio nihilo inferiorem largitur.

Dari

Dari poteſt dilutus aquis antiſcorbuticis ad drachmam dimidiam vel integram. Pro oris collutione temperetur melle roſarum, vel, quod melius eſt, aquilegiæ.

SPIRIT. CORNV ALCES.

SPIRIT. CORNV CERVI.

SPIRIT. CRANII HVMANI.

Coniungendos putaui hos ſpiritus, quum forte pauci hodie dubitaturi ſint, viribus eos ac vſu conuenire. Si rectificati ſunt, conſtant ex phlegmate per ſal alcalinum volatile ſaturato : quumque de ſale volatili huius generis dictum ſit, nihil habeo quod addi magnopere mereatur. Mixtionem cum ſpiritibus ardentibus admittunt hi ſpiritus : quare eſſentiis catarrhalibus vtiliter iunguntur. B. D. D. S'AHLIVS ad duas treſue partes tincturæ cuiuſdam alcalinæ vnam huiuſmodi ſpiritus addebat, quam mixturam vocabat tonicam, itemque ſpecificum ad hemicraniam laudabat, effectu ſane conſpicuo et optato, quem in me ipſo ſubinde expertus ſum. Dari hi ſpiritus ſolent a guttis decem ad triginta. Vidi plebeios in Palatinatu ſuperiori homines ipſum proprio conſilio ex pharmacopolio petitum ad integram drachmam cum vino aduſto hauſiſſe. Effectus eſt aperitiuus, antiſpaſmodicus et ſedatiuus : ſi regimine adiuuetur, valde fit diaphoreticus ; alias fere magis eſt diureticus.

SPIRIT. CORNV CERVI ES. SENTIFICATVS.

Quam prærogatiuam habeat præ ſpiritu ordinario, non peruideo. Forte maioris gratiæ cauſſa expetitur. Doſis erit eadem.

SPIRIT. CYDONIORVM.

A cydoniis malis gratum odorem et aliquantum virtutis anodinæ ac carminatiuæ retinuit: quare inſtar ſpiritus carminatiui, dilutus aquis conuenientibus, dari poteſt in torminoſis affectibus, deiectionibus nimiis, vomitu ac nauſea.

SPIRIT. FEBRIFVGVS ET DIAPHORETICVS.

Eſt potius eſſentia diluta, quam ſpiritus. Vegetabilia varia alexipharmaca, diuretica, ſtomachica, vterina eam ingrediuntur. Ad duas de viginti libras accedunt opii quatuor drachmæ: cuius quidem intuitu non eſſet extimeſcendus, modo cetera impleret ſpem, quam titulus facit. Fateor me neſcire modum febrem vllam eius ope expugnandi.

SPIRIT. FOENICVLI.

Spiritui aniſi paria facit.

SPIRIT. FORMICARVM.

Spiritus hic acido volatili penetrantiſſimo præditus, valde multum laudatur tamquam analepti-

cum, roborans, quin aphrodisiacum, quo intuitu aqua magnanimitatis vocari meruit, diureticum, antapoplecticum et antiparalyticum. Interne cochlear vnum vel alterum iubetur sumendum. Externe illinitur partibus dolore rheumatico et arthritico vexatis, quando malum iam decrescit: itemque in omni atonia et motus ablatione vel deprauatione.

SPIRIT. FRAGORVM.

Laudatissimas fragorum vires, in æstu et acrimonia sanguinis contemperandis, non seruat, sed potius calefacit et humorum motum intendit. Tamquam diureticum commendatur.

SPIRIT. FVLIGINIS.

Subscribo facile iudicio celeberrimi D. D. LVDOVICI, qui nos, spiritu tartari instructos, facile carere spiritu fuliginis tam simplici, quam artificiosius compositis, posse existimat. Quantum alii virtutum ipsi et sali eius volatili tribuant, legatur in commentariis chymiatrorum. Adde dissertat. inauguralem Altorfii 1722. *de fuligine* habitam a D. Lic. LEVTWEIN.

SPIRIT. FVMARIÆ.

Est satis diaphoreticus, præsertim si planta in medio flore, quum iam bona pars folliculorum seminalium adest, siccata prius, fuit adhibita. Est parergon extracti cum spiritu vini parandi. Dari potest saccharo distemperatus tempore pluuio nebuloso, et hinc catarrhalibus molestiis occupato homini, ad drachmam vnam et amplius. Etiam essentiæ fumariæ parandæ satis commode adhibetur.

SPIRIT,

SPIRIT. HÆMATITÆ.

Est spiritus salis ammoniaci particulis martialibus ab hæmatite simul eleuatis imbutus, atque pro earum maiore vel minore copia plus aut magis adstringens et tonicus. Parce datus in frigidis et cachecticis satis bonus est.

SPIRIT. HYPERICI FLORVM.

Quibus vsibus seorsim expetatur, non memini me alicubi legere. Quantis laudibus essentia celebretur, notum et obuium est: forte aliquæ similes vires ab hoc spiritu sperantur ad melancholiam fugandam. Dari potest aliqua conuenienti aqua distemperatus et saccharo ad gratiam conditus.

SPIRIT. HYSSOPI.

Inter potiunculas pectorales tussientibus et catarrhosis præscribendas adsumi potest, iunctis aquis conuenientibus.

SPIRIT. IVNIPERI E BACCIS.

Hic describitur per fermentationem parandus, qui fere ad medicos vsus expetitur, quum alter abstractitius vulgari vsu vsque ad abusum ingurgitetur aut saltem potetur, sub nomine *Genevre*, quo Galli iuniperum denotant. Est diureticus, alexipharmacus et stomachicus. Pro subiecti et morbi ratione a drachma dimidia ad integram datur, dilutus aquis conuenientibus, aut saccharo distemperatus. Catarrhis laborantes, post aliquot cyathos infusi calidi hausios commode hunc spiritum assumunt. Dilu-

tum cum hoc ſpiritu rob iuniperi variis intentionibus vtiliter adhibetur, vt catarrhis diſſipandis, ventriculo et inteſtinis roborandis, vrinæ ciendæ aut promouendæ inſenſibili transſpirationi: quod plerumque regimine adhibito determinatur.

SPIRIT. LAVENDVLÆ.

Oleum balſamicum efficaciſſimum, quo hæc planta turget, crebra abſtractione imbibit, hincque vires cephalicas, neruinas, diſcutientes acquirit. Magis externe, quam interne, expetitur ad odorandum, et membra paralytica, et a prægreſſis affectibus dolorificis debilitata, poſt modeſtam frictionem illinenda. Seorſim commendatur in linguæ paralyſi.

SPIRIT. LEVISTICI.

Vt angelicæ ſpiritus adhibetur: ſeorſim colicis et hyſtericis paſſionibus a cauſſa frigida ortis opitulatur. Eſt etiam externo vſu carminatiuus et diſcutiens.

SPIRIT. LIGNI SANCTI.

Eſt ſpiritus acidus ad tartari et fuliginis ſpiritum prope accedens, empyreumatico oleo imbutus, hinc ad ſudorem mouendum commodus, ad guttas XXX. XL. ſumtus et regimine adiutus. Specificas guaiaci vires antiuenereas fruſtra ab eo exſpectamus. Oleum, quod ſubſequitur, eſt blande ſepticum et mundificatiuum, adhibeturque externe ad vlcerum venereorum mundificationem. Similiter etiam ex ligno colryi, buxi, aliiſque parantur ſpiritus et olea, quæ hodie

die fere in desuetudinem abierunt, aut non tantopere, ac olim quidem, expetuntur.

SPIRIT. LILIORVM CONVALLIVM.

Est vel per fermentationem, vt hic præscribitur parandus, vel vino generoso recentibus floribus affuso, et post macerationem sufficientem auocato spiritu mire grato et iucundo, præsertim si dilutus syrupo cerasorum bibatur. Cordiales vires, quæ de his floribus prædicantur, non inuenio. Sunt enim recentes satis fortiter purgantes, in quo cum rosis pallidis conueniunt: siccati autem sternutationem satis vegete mouent. Si residuum a destillatione debite depures et inspisses, dabit extractum ad aloen succotrinam sapore et viribus proxime accedens, sed quod, ob sapam vini, non diu siccum conseruari potest. Si scrupulum vel drachmam dimidiam deuores, vegeta alui purgatio subsequetur. Externo vsu est valde bonum discutiens et resoluens, adeoque luxatis et alio modo vexatis partibus vtilissime imponitur vel illinitur: forteque nulla parte minus valebit aqua illa, quæ d'*Arquebusade* vocari et vsu multum frequentari assolet.

SPIRIT. LVMBRICORVM TERRESTRIVM SIMPLEX.

Parum vtique vltra spiritus vini simplicis vires ab hoc a lumbricis abstracto exspectari recta cum ratione potest, siue internus siue externus vsus instituatur.

SPIRIT. LVMBRICORVM TERRESTRIVM COMPOSITVS.

Auctor huius videtur intellexisse, quam parum simplex valeat spiritus, adeoque cupiisse illum roborare adiectis aliis, quæ censentur antarthritica. Melior vtique est simplici, in quantum accepit ab vegetabilibus. Vsus est externus.

SPIRIT. LVMBRICORVM TERRESTRIVM VOLATILIS.

Est spiritus vrinosus, cui in doloribus rheumaticis et arthriticis multi aliquid tribuunt, qui tamen spei suæ conuenientiorem et insuper parabiliorem agnoscunt spiritum salis ammoniaci ad vsus externos, i. e. illum cum calce viua paratum. Quantum hic est debilior, tanto minori periculo adhibetur. Alii, præeuntibus D. D. AVGVSTANIS, parant hunc spiritum ex siccis, sicque spiritum impetrant diaphoreticum et diureticum, instar illius, qui ex cornu cerui elicitur, parique modo exhibendum.

SPIRIT. MASTICHINVS.

Oleum mastiches blandum, tonicæ et carminatiuæ virtutis, in se fouet: quare non sine vtilitate conspicua datur in ventriculi atonia, inappetentia, ructibus, vomitibus a caussa frigida. Distemperatur aliquo syrupo conueniente. Datur a drachma dimidia ad integram.

SPIRIT. MATRICALIS.

Supra vidimus *aquam vitæ mulierum*, cui hic ſpiritus eſt omnino ſimillimus; atque ſub hoc titulo ad vſus internos venit, in flatulentia et ſuffocatione hyſterica, quando a cauſſa frigida pendet: poteſtque cochleatim offerri. Si ad vſus externos expetitur, vt abdomini illinatur, aut lintea conſperſa imponantur, ſpiritus hic camphoratus expetitur: cuius etiam magnus vſus eſt in œdematibus et atonia ac flaccidítate partium emendanda, ſi poſt modeſtam frictionem crebro applicetur.

Alibi ſpiritus matricalis alio modo paratus exſtat ex paribus partibus maſtiches, myrrhæ, thuris et ſuccini, abſtracto ab his ſpiritu vini compoſitus: qui nec ipſe contemnendus eſt, et, præter expoſitos vſus, expetitur etiam ac commendatur conſeruatis embryonibus, animalibus aliis, et præparatis anatomicis: quanquam magis conuenit illis imbuendis quæ ſiccare volumus, quam his, quæ placet in liquore conſeruare: quibus longe parabilior liquor, ſpiritus ſcilicet frumenti, ſufficit, qui hanc inſuper, tam præ ſpiritu vini, quam quibuscunque aliis liquoribus, prærogatiuam habet, quod limpidus ſemper manet, nec ad flauedinem cum tempore inclinat: de quo Exc. D. D. TREW in *commercio litterario phyſico med. Norimbergenſi* iam admonuit.

SPIRIT. NITRI.

Satis debilis ſpiritus hac ratione acquiritur: de modis deſtillandi melioribus videatur Exc. D. D. NEVMANNVS in *prælectionibus de nitro*. Eſt

ceterum ſpiritus acidus corroſiuus, qui ingratum ſpirat et ſapit, adeoque rariſſime ad vſus internos requiritur: externe aliquando ad verrucas auferendas adhibetur, vbi cauto tamen vſu opus eſt. Plurimum expetitur ad vſus chemicos et mechanicos, de quibus hic non eſt differendi locus.

SPIRIT. NITRI ANTICOLICVS.

Vix magnas prærogatiuas habebit præ ſpiritu nitri dulci. Nam quod oleoſum et reſinoſum eſt in ſpiritu carminatiuo et eſſentia carminatiua, ipſa digeſtione cum ſpiritu acido craſſeſcit et durius redditur, quam vt deſtillatione iungi poſſit. Doſis et vſus conuenit cum ſequenti.

SPIRIT. NITRI DVLCIS.

Acidum huius ſpiritus omnino dulceſcit et tranſit in vinoſum, admodum gratum odore et ſapore. Si paretur ex ſpiritu concentrato, quem fumantem dicimus, longe magis efficax eſt et aromaticum quid recondit. Vulgari modo, vt in officinis plerumque fit, paratus dari ad drachmam dimidiam vel integram poteſt, dilutus aquis conuenientibus aut vino inſtillatus in torminibus alui, colica, flatulentiis, conſpicuumque effectum carminatiuum et anodinum exſerit. Qui effectum refrigerantem ab ipſo ſperant, valde falluntur et euentu refutantur contrario. Memini Excell. STAHLIVM alicubi monere, ne illi, qui exulceratos renes aut aliam internam partem habuerunt, crebro vtantur hoc ſpiritu, et notabilem

tabilem casum afferre, quo recrudescentis vlcerationis euentus confirmatur.

SPIRIT. RORISMARINI.

Si a floribus roriſmarini abſtrahatur ſpiritus, dicitur aqua reginæ Hungariæ: hic, vbi folia ſimul accedunt, paullo minus gratus eſt, ſed viribus non inferior. Plurimum eius conſumitur a ſexu ſequiore, qui vix aquam aliam abluendo corpori adhibere ſuſtinet, niſi hoc ſpiritu imbutam: in quo imitatores habet ex viris non paucos. Non inutilis eſt ſcopo medico ad odorandum et infundendum partibus dolore aliquo rheumatico obtuſo vexatis, itemque flaccidis; vertex etiam et collum poſt frictionem prægreſſam illo fouetur in moleſtiis catarrhalibus, dolore capitis obtuſo, ſuſurro aurium. Poteſt etiam modica quantitate interius præberi, ſcopo carminatiuo, diapnoico et diuretico.

SPIRIT. ROSARVM.

Roſæ iucundum odorem poſſidet, quare ad epithemata cum aceto roſarum, pro iis qui non auerſantur hunc odorem, commodus eſt. Porro non ſecus, ac ſpiritus liliorum conuallium, virtutem diſcutientem probe exſerit, ſi contuſis, vexatis, tumentibus, locis applicatur. Virtus cordialis, quæ ipſi attribuitur, dubia eſt, et ſi quid ad vires erigendas facit, hoc a ſpiritu mihi videtur deriuandum: nam roſæ ſunt vehementer purgantes.

Paratur etiam non minus fragrans ac elegans ſpiritum vini a floribus identidem abſtrahendum: quem ſpiritum, ſi omnino a phlegmate liber eſt, poſſu-

mus iusta proportione instillatis oleis fragrantibus in balsamum liquidum amoenissimum magnarumque virium conuertere. Idem spiritus camphoratus, magis etiam quam alius spiritus, discutiendo valet. Si ante destillationem rosis adiicias sal tartari, sicque, vitato omni phlegmate, eum elicias, menstruum essentiæ ambræ commodissimum nanciscaris; quod amico cuidam, iam defuncto, in arcanis fuisse habitum recordor.

SPIRIT. RVBI IDAEI.

Est spiritus iucundus, instar illius qui ex cerasis et fragis paratur: sed blandarum fructus sui virium non magna dat documenta.

SPIRIT. SALIS AMMONIACI.

Est spiritus alcalinus volatilis purissimus, tantum phlegmatis, si saturatus est, secum vehens, quantum sali soluendo sufficit. Vsus ipsius est externus, ad subtiliandas et euehendas particulas odorabiles aliorum liquorum his pollentium. Deinde etiam ad resoluendum exterius illinitur articulis et membris dolentibus, qui vsus multis cautionibus a practicis cordatis circumscriptus est. Interne patrum æuo crebrius et amplius, quam hoc nostro solet, adhibebatur, ex ea hypothesi, quæ acidum morbificum plerorumque morborum caussam statuebat, adeoque non poterat non penetrans hoc et humoribus facile insinuandum alcali, tamquam eius vindicem et antagonistam, commendare. Hodie a multis absolute damnantur omnia salia alcalina, vrinosa, fixa, volatilia, in quacunque diathesi inflam-

matoria

matoria aut putredinosa. In morbis chronicis aliquis locus supereſt ſcopo reſoluente, diuretico, et, reſpectu ſolidarum partium, tonico. Dantur guttæ decem, viginti et amplius, cum vehiculis commodis.

SPIRIT. SALIS AMMONIACI ANISATVS.

Satis hic vtilis cognoſcitur in affectibus pectoris demulcendis, tonum bronchiorum et veſicularum pulmonalium roborando, et decubitum humorum tenacium diſſipando. Eundemque fructum affert inteſtinis flatulentia diſtentis et excruciatis. Videtur etiam non parum valere ad lumbricos et alia animalia inteſtinis contenta, ad exitum compellendos. Communicauit mecum D. D. WOGAV, phyſicus Memmingenſis doctiſſimus, caſum feminæ diræ per vndeuiginti annos paſſæ, tandemque in raucedinem diuturnam lapſæ, cui linctum, qui poſteriori ſymptomati mederetur, ex oleo amygdalarum dulcium et ſyrupo violarum, modica noſtri ſpiritus quantitate adiecta, præſcripſit. Hoc adhibito omnis dolorum abdominis et hyſtericorum ſcena de integro, et ſæuiſſime quidem, adornabatur, quibus durantibus aliquot ranæ viuæ a miſera diſcedebant: quo intellecto medicus laudatiſſimus maiori copia adhibere linctum iuſſit, moxque purgans idoneum ſubiunxit, quo plures ranæ expulſæ finem diuturno et antea incognito morbo impoſuerunt. Doſis, vt prioris.

SPIRIT. SALIS AMMONIACI CVM CALCE VIVA.

Est longe fortior, fereque igneus hic ſpiritus, ſi conferatur cum ſimplici ope cinerum clauellato-

rum

rum facto, vnde ad vſus tantum externos potiſſimum expetitur, qui et ipſe in tenerioribus debet cautus eſſe, ne cutim exulceret.

SPIRIT. SALIS AMMONIACI SVCCINATVS.

Celebratur cephalicus, neruinus, vterinus, diureticus, antepilepticus. Eſt aniſato calidior. Dantur guttæ quindecim, viginti.

SPIRIT. SALIS AMMONIACI VINOSVS.

Ad odorandum ceteris commodior eſt, quia mixturæ cum ſpiritibus et oleis æthereis aptior eſt. Eius ope ex omnibus deſtillatis oleis ſalia volatilia oleoſa facili parantur negotio. Interius dantur guttæ viginti, triginta.

SPIRIT. SALIS COMMVNIS RECTIFICATVS.

Inter tres modos hunc ſpiritum parandi priores duo dant debiliorem, qui in officinis ad vſum adhibetur. Sed fumans ille, nimis concentratus, chymicis potius vſibus vlterioribus expetitur. THEOPHRASTVS PARACELSVS in febrium malignarum curatione ſpiritui ſalis multum tribuit: HELMONTIVS ad dyſuriam et iſchuriam ſenilem illum commendat, ac memini ſane felicis effectus, cum, poſt multa a medicis fruſtra adhibita, ſuperueniens chirurgus aliquot guttulas in iuſculo offerret, magnamque gratiam et laudem cita curatione reportaret. Eſt etiam vſus externus, vt melle roſarum diſtem-

ſtemperato gurgulio ac fauces inflammatæ ſæpius tangantur, ne ſuppuratio aut plena corruptio conſequantur. In ipſo quoque ſphacelo ad progreſſum mali inhibendum ſpiritus, ſed concentratus, bene adhibetur: quod ex vſu butyri antimonii eluceſcit, quod nihil aliud eſt, niſi ſpiritus ſalis concentratus, particulis antimonii regulinis ſaturatus.

SPIRIT. SALIS DVLCIS.

Spiritus hic non tam perfecte dulceſcit, quam ille nitri ſed acido-ſalinum quid guſtui imprimit. Aperitiuo ſcopo eſt ſane perquam egregius, nec deſtituit ſpem ſtomachicæ virtutis. Doſis diuerſa eſt pro eo ac ex debili vel forti ſpiritu paratus fuit. Officinæ ſæpius habent valde inertem, cuius cochlear et amplius abſque maiori effectu, quam qui a ſpiritu vini conſequitur, haurias: ſed maiori cura ex ſpiritu fumante cum octo partibus ſpiritus vini paratum, ad guttas XXX. datum, inuenies ſatis efficacem.

SPIRIT. SAMBVCI E BACCIS.

SPIRIT. SAMBVCI E FLORIBVS.

Alter fermentatione paratur, eſtque diaphoreticus et aliquantum aperitiuus: alter abſtractitius, præter diapnoicas vires aliquantulum etiam ſedatiuas et anodinas obtinet. Additur potiunculis diapnoicis ſat magna aquarum diapnoicarum quantitate dilutus. Poteſt etiam externe partibus flaccidis et tumentibus, poſt modeſtam frictionem, illini.

SPIRIT. SANGVINIS CERVI.

Est spiritus sui generis, comparandus cum spiritu cerebri humani, quem supra vidimus. Vix multum erit diuersus ab *aquæ cornu cerui e tenellis cum* vino, quam supra vidimus. Non sunt talia nostri sæculi, quo ceruum totum esse alexipharmacum vix gynæceo probatur.

SPIRIT. SCELOTYRBICVS seu ANTISCORBVTICVS.

Iam supra vidimus spiritum antiscorbuticum: hic ad eundem morborum excogitatus, paullo acrior est, haud scio an melior, et ad rei summam valde proficuus, si experientiam magis consulas, quam hypotheses, quas docti viri ad systema scorbuticum fundandum substrauerunt.

SPIRIT. SERPYLLI.

Est optimus scopo discutiente et anodino in omni affectu ab atonia pendente stagnatorio et tumente. Qua occasione meminimus *aquæ benedictæ serpylli*, quam MYNSICHTVS docet *armament. p.* 319. et ad vsus internos, ab vncia dimidia ad integram, et vltra, sumendam commendat ad omnem fere affectum frigidum: cuiusque externus etiam vsus efficaciſſimus deprehenditur. Alibi celebris est *aqua serpylli sassafrasata*, ad catarrhales, rheumaticos et arthriticos vsus satis laudabilis.

SPIRIT. SVLPHVRIS.

Vide oleum ſulphuris per campanam et ſpiritum vitrioli, nam omnia vitra his nominibus inſcripta ex eadem lagena implentur.

SPIRIT. TARTARI.

Eſt ſpiritus acidus empyreumaticus. Tribuuntur ipſi magnæ vires aperitiuæ, diaphoreticæ et diureticæ. Dari per ſe ſatis magna doſi poteſt, ad drachmam integram. Ingreditur mixturam ſimplicem et tincturam bezoardicam.

SPIRIT. TEREBINTHINÆ.

Eſt oleum puriſſimum æthereum terebinthinæ, quod præcipue aptum eſt ſanguini ſiſtendo, ſi tolerabili gradu calefactum vulneribus infundatur, præſertim in partibus valde neruoſis et tendinoſis. Idemque puncturis neruorum atque tendinum conducit, ſi calide inſtilletur: de quo plura egregie tradit Anglus IACOBVS YONGE in libro, cui titulus eſt *Currus triumphalis e terebintho.*

SPIRIT. THERIACALIS CAMPHORATVS.

Spiritus hic a theriaca aliquid virium anodinarum transuehit, quæ a croco ſeorſim addito augentur: a myrrha accedunt diaphoreticæ et diureticæ. Camphoræ non idem modus præſcribitur, aut in addendo tenetur. Hic ad duas libras accedunt quatuor drachmæ: ſed D. D. AVGVSTANI tantum duas

requi-

requirunt et præcipiunt. Atque intra hos limites ſubſiſtunt pharmacopœi, quando ad mixturam ſimplicem adhibendum parant. Ad vſus externos adhibendi ſingulis vnciis ſcupulum vnum camphoræ adſueuerunt addere. Qui vſum camphoræ internum reformidant, poſſunt adhibere aquam theriacalem, quæ et ipſa ex antiquiſſima deſcriptione ad mixturam ſimplicem requiritur.

SPIRIT. TRIFOLII AQVATICI.

Vires ſuæ plantæ ſatis bene complectitur et exhibet. Eſt pectoralis, diureticus et antiſcorbuticus, poteſtque vſibus tam internis quam externis adhiberi, vt ſpiritus cochleariæ.

SPIRIT. VENERIS CONTRA EPILEPSIAM.

Idem eſt, quem ſupra vidimus, *ſpiritus æruginis* ſimplex.

SPIRIT. VINI CAMPHORATVS.

Quam præclare ſpiritus vini ſe gerat, ſi exterius adhibeatur, roborando, diſcutiendo, ac congeſtiones dolorificas diſſipando ſatis notum eſt; vnde varios iam vidimus compoſitos ſpiritus, qui toto die cum fructu adhibentur, in quibus ſæpe dubium eſſe debet, an quicquam præclari fructus vllo alioquam ſpirituoſo principio afferant. Horum aliquos camphora imbuere officinæ ſolent, vt matricalem et theriacalem.

Cogi-

Cogitatum itaque fuit, annon, conſpicuo ſumtuum compendio, in pleriſque caſibus ſufficere ad ſperatum effectum poſſit ſimplex vini vel frumenti ſpiritus camphoratus: et experientia ſpem ſatis confirmauit. Enimuero magnopere etiam noceri poteſt tam benigno remedio, ſi imprudenter admoueatur, quum ſpiritus vini per poros cutis facile penetret, et lympham promtiſſime coagulet, vt non ſecus inepta motui reddatur, quam albumen oui calore indurari ſolet: quo facto exulcerationem ſubſequi omnino neceſſarium eſt. Ex quo conſequitur ſpiritum hunc non adhiberi debere, quando ſub cuticula proxime hæret decubitus humorum, vt in eryſipelate: niſi hæc cautio adhibeatur, vt lintea ſpiritu hoc imbuta ad liberum aerem aut proxime poſitas prunas pendeant, donec in auras diſſecto ſpiritu ſola camphora, flocculorum ſpecie, adhæreat. Male etiam applicatur ſpiritus hic, vbicunque fibræ ſolidæ iam nimis ſunt contractæ et rigidæ, atque hoc ſuo vitio dolorem inferunt, vt in ambuſtis et combuſtis. Solent aliqui camphoram cum ſale tartari terere, atque, ſuperfuſo in phiola deſtillatoria ſpiritu, illum blando igne euocare, qui odore camphoræ ſic ſatis imbutus prodit, aquæ autem permixtus camphoram non dimittit. Hunc ſpiritum cum tincturæ antimonii duabus partibus mixtum celebris quidam medicus in febribus malignis ſæpe adhibet, ipſeque, vt ſe præſeruet, duas drachmas ſubinde accipit. Vidi eundem in iſchiatico et oſſis ſacri pertinaci dolore cum fructu datum. Sub hac deſtillatione aſcendunt flores camphoræ cryſtallini, quos ille medicus crebro interne adhibet, pulueribus pro varia intentione additos, cum optimo effectu.

SPIRIT. VINI RECTIFICATVS.

Est nobilissimum Dei donum, quod ad maximas humani generis vtilitates, si moderatio et prudentia adhibeantur, transferri potest. Summe et perfectissime a phlegmate liberatus propter vsus externos requiritur, si sanguinis profluuia sisti debent: chemia etiam talem sæpe requirit. Sed interne adhibendum præstat omnino esse aliquantum aquosum, aut vsus tempore vehiculo aqueo distemperari. Quam præclare inseruiat viribus excitandis, sanguinis motui intendendo, excretionibus augendis, discere licet ex ZAPATA in *mirabil. medico-chirurg.* vbi suum aurum potabile pauperum describit, quod nihil est aliud, præter spiritum vini, vt loquimur, rectificatissimum, saccharo soluto temperatum: cui locus est, vbicunque virium subita prostratio et excretionum omissio corrigi debent. Et forte pleræque essentiæ officinarum spirituosæ plus operantur spirituosa sui parte, quam illo, quod a vegetabilibus imbiberunt. Apparet satis vbicunque iam motus nimis concitati sunt, et circulus humorum intensus est, imprudenter sane spiritum hunc interne adhiberi, omnemque cum illo paratam essentiarum et tincturarum farraginem cum hac cautela adhibendam esse, quin omnes spiritus ardentes, et aquas spirituosas eadem cautela offerri debere.

SPIRIT. VINI TARTA-RISATVS.

Spiritus vini infusus sali tartari sicciſſimo, quicquid phlegmatis attulit, illud se sali adiungit, deſtillat autem non nisi purum alcohol, quod aliquas sui partes oleosas cum salinis maritauit et secum transuehit: quare talis spiritus resinosis extrahendis adhibitus tincturam saturatius coloratam exhibet, et in aliquibus manifestum reddit, quod celerius soluat, quam simplex vini spiritus, quod disci potest paranda ambræ essentia. Vsibus chemico-pharmaceuticis potissimum expetitur.

SPIRIT. VITRIOLI ANTE-PILEPTICVS.

Nescio quam bene impleat hoc medicamentum, quod titulus præfert: non enim memini me illud in vlla officina videre, aut a quoquam medico requisitum vel adhibitum. Ex descriptione expectare licebit spiritum instar mixturæ simplicis rectificatæ et spiritui cornu cerui combinatæ. Non probat talia præsens sæculum, et si omnino desiderentur, possunt vsus tempore facile coniungi.

SPIRITVS VITRIOLI PHILOSOPHICVS.

Potius a sale communi, quam a vitriolo erat denominandus. Quid philosophici nomen ipsi attulerit, philosophi dispiciant. Est omni dote spiritus salis.

SPIRITVS VITRIOLI SIMPLEX.

Est acidum vitrioli purius et leuius, phlegmate adhuc multo dilutum. Inseruit vsibus chymicis et pharmaceuticis pluribus. Interne adhibetur, dilutus aquis conuenientibus, ad potiunculas et iulepos, sitis restinguendæ et caloris contemperandi caussa præscriptos, acido grato sapore imbuendos. Quando spirituosis affunditur, cum ipsis induit naturam blande sedatiuam et anodinam.

SPIRITVS VITRIOLI TARTARISATVS.

Est spiritus vitrioli et tartari inter se iunctus, et ab admixto spiritu vini aliquantulum volatilis factus: rarioris vtique vsus. Meliori ratione mixturam simplicem ipsi surrogabimus.

SPIRIT. VITRIOLI VOLATILIS.

Qui hic describitur, est tenuissimus et subtilissimus vitrioli spiritus, qui igne mediocri potest elici: cuius proinde aciditas leuior et benignior est, faciliusque per poros nostri corporis transspirat. Exc. D. D. STAHLIVS modum edocuit copiose facileque impetrandi spiritum vitrioli volatilem, quem vide *opusc. chymic. pag.* 246. *seqq.* Denique aliqui, vt in nouissima editione additur, ita vocant spiritum vitrioli dulcem, non amplius acidum sed sulphu-

sulphureum spiritum, virtutis anodinæ, carminatiuæ et aperitiuum.

SVLPHVR AVRATVM ANTIMONII FIXVM DIAPHORETICVM.

Fixum hoc sulphur dicitur sensu practico, quod non facit vomitum, quemadmodum mercurium fixum, qui non mouet saliuationem, vocamus, et ab ipso non requirimus fixitatem in igne perferendo. Varii sunt modi talem puluerem sulphureo-regulinum ex antimonio parandi a variis propositi, vt ANGELO SALA, GLAVBERO, ROTHIO et aliis, quorum quidam satis drastici sunt in vomitu excitando, vt vix multum sint croco metallorum inferiores, alii mites inueniuntur. Plerumque id cernitur quod eadem dosis, quæ primo vomitum induxit, altero die sumta leuem nauseam tantum moueat, deinceps nihil moueat, nisi sudorem. In terris Brunsuicensibus crebro adhibetur *panacea Glauberiana*, quæ et *Coneràingiana* ibidem dicitur. In Galliis frequentatur *puluis Carthusianorum* siue *Alkermes minerale*, cuius præparationem tradit *pharmacopœa Argentoratensis pag.*136. Apud nos expetitur sulphur antimonii auratum secundæ præcipitationis, quod ex residuo tincturæ antimonii paratur. Plura vide in Ill. HOFFMANNI *obseruat. physico-chem. pag.* 289. *seqq.* qui et de viribus nos edocet *pag.* 292. his verbis: *Multiplici sumus experientia edocti, eiusmodi sulphure antimoniali bene præparato et correcto contumaces et chronicas passiones, præsertim quæ ex stagnatione et corruptione lymphæ*

proueniunt, glandularum etiam rebelles tumores, vlcera antiqua, aliasque fœdas impuritates cutis, pertinacem quoque epiphoram, interposito simul decocti diluentis et sanguinem depurantis vsu, dexterrimo cum successu fuisse sublata. Insuper etiam conuulsiuum asthma, hemicraniam quoque et pertinaces intermittentes, scabiem instar leprœ malignam et parua ex lue venerea incommoda, bisce antimonialibus conuenienti dosi exhibitis, profligata fuisse reminiscimur. Hactenus HOFFMANNVS. Quantum valeat in catarrho suffocatiuo, proposito ægroti exemplo ostendit D. D. ROEMPLERVS in dissertatione inaugurali 1720. hic proposita præside illustri D. D. ALBERTI.

Quantum valeant hæc aurata sulphura cum mercurio dulci combinata, *medicis Edinburgensium actis* nuper declaratum est, quorum duo specimina Exc. D. D. WERLHOF, vir medicinæ illustrandæ et ampliificandæ natus, fautor noster omni obseruantia colendus, Latinitate donata nuper edidit, et erudita epistola ipsam methodum clariorem reddidit. Mihi ipsi, excitato per obseruationem D. D. CLAVNIGII, quæ *Ephemerid. A. N. C. Centuria I. pag.* 46. legitur, ante iam complures annos in animum venit sulphur hoc iungere æthiopi minerali, aut, vbi fortiori cuneo opus videbatur, mercurio præcipitato rubro, patienti edulcoratione mitificato, (de quo suo loco dixi,) semperque gauisus sum optato successu satis celeris et tranquillæ curationis.

SVPPOSITORIVM COMMVNE.

Vſus ſatis notus, et remedium vſui ſatis eſt commodum, modo caueatur a melle in affectibus inteſtini ad ſuppurationem ſpectantibus, quoniam ad accelerandum hunc euentum mellita valde inueniuntur efficacia.

SYRVPVS ABSINTHII COMPOSITVS.

Syrupi nomen eſt arabicæ originis, diuque a viris doctis monitum eſt meliorem rationem ſequi qui ſcribunt *ſirupus*, aut, quod b. D. D. LENTILIO conſuetum eſt, *ſirubus*. Sed ſi omnia ad hanc rationem etymologicam mutare velimus, totum nomen eſſet transmutandum, pro *ſ* ponendum *ſch*: pro *i*, *a* vel *e* in prima ſyllaba, in altera etiam pro *u*, *e* vel *a*: nam Arabes *ſcherbet* vel *ſcharbat* efferunt. Nolui quicquam mutare, non ſolum ne ordinem alphabeticum turbarem; verum etiam quod infinita ſunt alia, vſu iam recepta et confirmata, in omnibus linguis, quæ ſapientius tolerantur quam nouantur. Hic abſinthii ſyrupus compoſitus a MESVE ad nos transmiſſus eſt, commendaturque ad appetitum excitandum, atque ventriculo cum inteſtinis roborando. Laudatur etiam in cachexia et fluore albo emendandis. Dilui debent ſyrupi decocto aliquo, aut aqua deſtillata conuenienti. Video etiam BARBETTVM tranſtuliſſe hunc ſyrupum ad vſum externum in vulneribus atque vlceribus di-

gerendis et mundifiandis, et ad iniectiones sinuosis vlceribus repurgandis destinatas.

SYRVPVS FLORVM ACACIÆ.

Est satis blande solutiuus, cum aliqua subadstringendi facultate, quare aluo subducendæ conuenit, et seorsim in nephritide ac lumbricis commendatur; quo posito intelligi potest, cur etiam in antepilepticorum catalogo conspiciatur. Datur teneræ ætati per parua cochlearia, donec operatio subsequatur; in adultiori additur infusis et decoctis laxantibus ad vncias duas et amplius. Etiam sero lactis potest adiici.

SYRVPVS ACETOSÆ EX SVCCO.

Plenis litteris exscribendum est nomen acetosæ in formulis, ne intelligatur syrupus acetosus, qui est oxymel, acetum mulsum. Conducit in omni morbo, vbi calor et sitis remedium postulant. Additur potui ægrotantium, siue aqua sit, siue decoctum aut iulepus.

SYRVPVS ACETOSELLÆ.

Eundem vsum præstat, eademque ratione exhibetur.

SYRVP. ACETOSITATIS CITRI.

Est gratissime acidus, adeoque, vt priores, adhiberi potest caloris et sitis vehementis solatio, potui ægrotantium immixtus.

SYRVP. AGRESTÆ.

Dicitur etiam *de omphacio*. Ob austeritatem subadstringentem, atque iunctam aciditatem in febribus cholericis magni a veteribus factus est, tam ad æstum refrigerandum quam vomitum immoderatum compescendum. Commendatur etiam grauidis inordinato appetitu laborantibus. IACOBVS SYLVIVS monet, omphacium premendum esse ex vuis rubris, quæ plurimum adstringentis succi præbent. Dandum præcipiunt veteres ad fluxus alui compescendos initio sumendi cibi, si autem vomitus vrgeat, post cibum, dosinque determinant duas vncias.

SYRVP. ALTHÆÆ FERNELII.

Describit ipsum *method. med. lib. VII. p. m.* 130. et commendat ad crassam obstruentemque renum pituitam et lentam purulentamque eorum saniem et arenulas blande ac clementer expurgandas citra manifestum calorem: vt et ad vrinæ ardorem demulcendum. Semina quatuor frigida alii omittunt. Datur commode cum decocto nephrocathartico aut, si in molestiis catarrhalibus tussique requiritur, cum pectorali aliquo. Potest etiam cochlearibus succesiue assumi.

SYRVP. AQVILEGIÆ.

Ab aliquibus prædicatur cordialis, febre maligna, variolis ac morbillis laborantibus valde vtilis. Alii seorsim commendant ad scorbutum oris, vel solum, vel remixtum spiritu salis dulci.

SYRVP. DE ARTEMISIA COMPOSITVS.

Destinatus est vitiis mensium vel suppressorum vel imminutorum aut deprauatorum corrigendis, itemque partui et secundinis ac lochiis promouendis. Plerumque decoctis additur, aut potionibus, quæ aliorum vehiculo destinata sunt.

SYRVP. AVRANTIORVM CORTICVM.

Est gratissimus syrupus, virtute analeptica, stomachica et carminatiua insigni præditus. Additur potiunculis edulcorandis.

SYRVP. BERBERVM.

Aestum nimium compescit et sitim restinguit, si potui ægrotantium admisceatur. Habet etiam aliquid subadstringens, quo conuenit syrupo agrestæ.

SYRVP. DE BETONICA.

Quantis laudibus exornetur betonica, nemini obscurum est: dolendum modo, quod maiores nostri ad tam multa commendando effecerunt, vt nescia-

mus,

mus, quæ ſint mala quibus proprie medeatur. Eſt igitur fere vniuerſalis ſyrupus, qui omnis generis potionibus, electuariis, bolis, vbicunque ſyrupi vſus eſſe poteſt, addi queat, ſi non certo fructu, abſque tamen damno et reprehenſionis metu.

SYRVP. DE BRYONIA.

Bryonia purgat vteros et pectus : ſuccus etiam eius commemoratur aliquando finem longo et incognito morbo optatum attuliſſe, eiiciendo copiam ranarum viuarum, quæ in inteſtinis hoſpitata fuerant. Dari itaque hic ſyrupus poterit aſthmaticis, hyſtericis, et vbi ſuſpicamur infeſta animalia intus latitare. Apud MESVEN *de ſimplic. cap.* 25. inuenio, quod e ſucco bryoniæ, melle ac vino fiat potio ad ſtrumas experta: quod in hunc ſyrupum fere quadrat; quare experientiæ commendatur.

SYRVP. BVGLOSSÆ.

Cordialis eſſe perhibetur, mentem exhilarare et pectori prodeſſe.

SYRVP. BYZANTINVS COMPOSITVS.

A MESVE deſcribitur ſub titulo : *Syrupus acetatus diarrhodon*, et commendatur ad febres complexas et eas, quæ formam corporis corrumpunt, obſtructiones hepatis et lienis. Roſæ adduntur ſcopo adſtringendi. Vocatur etiam Arabibus *ſyrupus dimari*,

dinari, quaſi qui crumenam medici ducatis repleat. Datur vncia ad vncias tres.

SYRVP. BYZANTINVS

SIMPLEX.

Etiam a MESVE acceptus eſt, qui commendat ad icterum et febres putridas bilioſas et phlegmaticas ſolutu contumaces. Si poſt ſeptimam aut nonam diem non ſolutæ eſſent febres, huius ſyrupi vſum aduocabant.

SYRVP. CAPILLORVM

VENERIS.

Simplex in vſu eſt et *compoſitus*. Simplex, a capillo veneris ſeu adianto vero, blandas et temperatiſſimas vires tonicas et aperitiuas nactus, quas PETRVS FORMIVS, Medicus Monſpelienſis ſingulari libro prædicauit, ad hypochondriorum et pectoris varia vitia ab atonia pendentia efficaciſſimus, in Gallia Narbonenſi et vicinis prouinciis adeo familiari vſu frequentatur, vt infuſo theæ loco ſacchari adhibeatur. *Compoſitus*, in conſortium aſſumit linguam ceruinam dictam, earundem virium plantam, et ex aperitiuis ac lubricantibus, glycyrrhizam, aſparagum et maluam; ad pectoris infarctum expediendum et renum vitia expetitur. Poteſt iungi cum ſyrupo althææ et oleo amygdalarum dulcium, ac in pectoris vitiis cochleatim lingi.

SYRVP. CARDVI BENEDICTI.

Carduo benedicto vires ſtomachicæ, alexipharmacæ et antifebriles a vulgo non minus quam a medicis

medicis tribuuntur; quin ſunt, qui longe plura et tantum non omnia in morbis chronicis ab ipſo exſpectant, et in ipſa peſtilentia certum auxilium. Datur vncia vna et altera vel infuſo aliquo vel aquis conuenientibus diluta.

SYRVP. CERASORVM ACIDORVM.

Eſt benignum et gratiſſimum æſtus ac ſitis remedium, adeoque conſpicuum analepticum in febribus. Iulepis additur ad ſatietatem bibendis.

SYRVP. CERASORVM ACIDORVM CVM FLORIBVS TVNICÆ.

Eſt idem ſyrupus aliquibus, quæ cordialia creduntur, et in rerum ſumma parum faciunt, additis. Vſus eſt idem. In magna virium proſtratione poteſt aqua et vino ſimul diſtemperatus præberi.

SYRVP. CICHORII EX SVCCO.

Dicitur etiam *de ambubeia ſimplex*, quod nomen CORN. CELSVS pro cichorio adhibet. Vires complectitur aperitiuas et blande tonicas, vnde eſt polychreſtus in omnibus morbis chronicis.

SYRVP. DE CICHORIO CVM RHABARBARO.

Alterandi vires cum præcedenti communes habet, quibus accedunt euacuantes blandæ a rhabarbaro, quæ in tenera infantili ætate ſatis efficaces ſunt ad aluum ſubducendum, intenduntur autem, quoties res poſtulat, grano vno vel altero extracti rhabarbari admixto. In adultis vtiliter additur decoctis reſoluentibus et aperitiuis. Poteſt etiam pro his ſtimulari addita tinctura illa rhabarbari, quæ *animæ* eius audit. Datur ſyrupus infantibus per cochlearia, adultis ad vncias duas.

SYRVP. DE CINNAMOMO.

Eſt analepticus, colore, odore et ſapore gratiſſimus, blande ſpirituoſus ſyrupus, qui pro iis, qui ferre talia poſſunt, iulepis et mixturis analepticis vtiliſſime additur. Eſt quoque ventriculo roborando, et nauſeæ ac indigeſtioni emendandæ, aptiſſimus.

SYRVP. CITRI CORTICVM.

Etiam hic valde eſt gratus et vinoſus ſyrupus, qui admodum conuenit in morbis catarrhalibus et malignis ad vires erigendas et excretiones tam intendemdas quam reuocandas. Additur potiunculis et iulepis.

SYRVP. E CITRO TOTO.

Est ex inuentione IO. PREVOTII, Professoris medici in academia Patauina quondam clarissimi, qui ipsum in morbis malignis creberrime adhibebat, dabatque vnciam vnam cum aquis conuenientibus: vide celeberrimi medici Lubecensis PAVLI NEVCRANTZI librum *de purpura*, *pag.* 412. Sed gratiæ multum amittit ob addita quædam amara alexipharmaca: quare etiam his omissis paratur ad præscriptum in nouissima editione subiunctum: potestque facile, vbi vsus postulat, syrupis contraieruæ et scordii additis suppleri.

SYRVP. DE TOTO CITRO ESSENTIFICATVS.

Etiam hoc medicamentum morbis malignis opponitur. Inuentor est CAMILLVS, chymicus Patauinus, a quo acceptum modo dictus PREVOTIVS illud communicauit cum D. D. NEVCRANTZIO, qui in libro *de purpura pag.* 425. descripsit. Sic satis conuenit cum nostra descriptione, nisi quod seminum contundendorum et admiscendorum nulla ibi fit mentio. Dosis est a drachmis tribus ad vnciam integram, in peste, febribusque malignis et putridis. Non solum malignitatem arcet et putredinem domat, sed et collapsas vires instaurat, et virtute sua diuretica materiam noxiam potenter per vrinas educit.

SYRVP. COCHLEARIÆ.

In affectibus ſcorbuticis conuenit, tam interne cum decoctis et potionibus aliis commodis, quam externe, gargariſmis et fotibus oris additus.

* SYRVP. CONTRA-YERVÆ.

Valde multum alicubi commendatur et adhibetur, ob vim blandam alexipharmacam, non exæſtuantem: vnde potiunculis diapnoicis additur pro illis, qui variolis et morbillis laborant, aliiſque febribus continuis et malignis correpti ſunt. Proſtat ſimplex, quem *pharmacopœa Argentoratenſis* deſcribit, et compoſitus, quem docet D. D. NEVCRANTZIVS citato libro *pag.* 423. Eſt hic vltimus valde vicinus ſyrupo de toto citro, et eo potiſſimum differt, quod contraieruæ maior additur quantitas.

SYRVP. CORALLIORVM.

Succus berberum coralliis infunditur, qui bonam illorum partem diſſoluit: deinde ſaccharo addito conficitur. Eſt igitur refrigerans et adſtringens. Quantum vere cordialis ſit, experientiæ permitto. In fluxibus quibuſcunque cohibendis valet. Additur potionibus et electuariis.

SYRVP. CYDONIORVM.

Cydoniorum ſuccus eſt ſubadſtringens, cum principio quodam ſedatiuo et anodino; quare in nauſea et vomitu vt et fluxibus alui ſedandis crebro adhibetur. Additur potiſſimum electuariis et bolis roborantibus, præcipue illis, quibus abortum præcauere cupimus, ad quem finem etiam facere creditur, ſi amygdalæ dulces excorticatæ, ſyrupo huic intinctæ, crebro eſitentur. Doſis eſt ad vnciam vnam, et vltra.

SYRVP. DIACODION MONTANI.

Hæc deſcriptio eſt ad mentem illuſtriſſimi Patauinorum medici IO. BAPT. MONTANI: ſed ipſum medicamentum longe eſt antiquius, et a GALENO *de compoſ. medicam. ſec. loc.* iam deſcriptum, ab ALEXANDRO TRALLIANO *lib. V.* valde laudatum. Nomen ipſi eſt *διὰ κωδείων*, i. e. *de capitibus papaueris*, quæ recentia, vna cum ſeminibus, decoquuntur, atque baſin medicamenti conſtituunt. MONTANVS addidit ſiliquas dulces, vnde ab aliquibus vocatur *ſyrupus de ſiliquis*. In tuſſi acri irritatiua eius vſus eſt ad materiam incraſſandam, et efferatum motum blande compeſcendum. Datur per parua cochlearia lingendus, maxime veſperam verſus.

SYRVP. DIASEREOS ANDERNACI.

IOAN. GVINTHERIVS, a patria ANDERNACVS dictus, inuentor eſt, et deſcribit ipſum in

pulcherrimorum commentariorum *de medicina veteri et nova* parte ſecunda *pag.* 438. 439. Nomen inditum eſt a baſi, quam faciunt cichoreum et intybus, herbæ ambæ amaricantes et lacteſcentes, edules, quas Græcum nomen σέρις denotat, et cum ſuis ſpeciebus ſub ſe comprehendit. De viribus et vſu ipſe auctor nos edocet, ex hoc ſyrupo interdum cochleare vnum vel ſemunciam, cum modica hordei aqua, cui cinnamomi aliquid incoctum ſit, pueris bile ſuffuſis, vel obſtructionem et duritiem viſcerum expertis, aut lumbricis infeſtatis, ante cibum ſalubriter exhibuimus: prouectioribus in ſimilibus affectibus duo cochlearia, cum ſyrupi violacei aut roſacei ſolutorii vno, et quaternis aquæ intybi, aut hordei, aut alterius conuenientis; valentioribus vncias duas cum vna ſyrupi roſati ſolutorii et aquæ cichorei duabus. Delicatis et febri carentibus aquæ ex cinnamomo deſtillatæ cochlear vnum aut alterum admiſcere ſoleo.

*SYRVP. DOMESTICVS.

Vocatur etiam ſyrupus *de rhamno cathartico*, ſeu *de ſpina infectoria*. A REINERO SOLENANDRO, LAZARO RIVERIO, SYDENHAMO, SIMONE PAVLI aliiſque præcipui nominis medicis valde commendatur ad hydropem, cachexiam, arthritidem, luem veneream curandam. Quin ipſis nuper natis infantibus ad meconium expurgandum a vulgo datur, et paullo adultioribus ad coagulum lactis blande educendum. Datur a drachma vna vel duabus ad vncias duas: obſeruatumque fuit tormina nulla excitari, ſi poſt aſſumptum illum cibi aliquid aſſumatur. Deſcriptio videri poteſt in pharmacopœis

pœis D. D. AVGVSTANORVM et ARGENTORATENSIVM.

SYRVP. EMETICVS.

Est vinum emeticum in syrupi consistentiam redactum. Dilutus datur vel aqua simplici vel aliqua stomachica et carminatiua, a drachma vna ad sex: addi etiam clysteribus potest vncia vna et altera in apoplexia et catarrho suffocatiuo.

SYRVP. DE ERYSIMO LOBELII.

Describit ipsum ipsamque plantam, quæ basi eius seruit, MATTHIAS LOBELIVS *obseruat. stirpium pag.* 103. cui loco addi debent, quæ in *aduersarius pag.* 69. leguntur. Vulgo solet pro erysimo haberi et adhiberi vitium segetis æstiuæ, rapistrum: sed ad hunc syrupum parandum requiritur illa planta, quam verbenam feminam vulgo vocant. Profitetur Lobelius se a RONDELETIO Monspelienſi professore celeberrimo vsum plantæ edoctum esse. Exempla, inquit, succurrunt quam plurima, quæ secundissime tum præceptoribus, tum nobis postea successerunt. Phonascos memini tum iuuenes, tum ætatis prouectæ, quibus ferme iam amissa voce et spiritu, limpida et sonora vox restituta fuit, vnius erysimi et opera eximii professoris RONDELETII, qui primus vsum monuit. Albo experientiæ calculo a pluribus egregiis viris passim notatur: vide ETTMVLLERI *colleg. practic. pag.* 222. ibique laudatos auctores. Datur vncia vna: potest commode iungi sero lactis, sicque calide hauriri. Con-

tinuandum esse vsum auctor monet, et corpus antea expurgandum.

SYRVP. DE FARFARA.

Simpliciſſimus hic ſyrupus non eſt iners ad pectoris vitia emendanda. Incraſſando et leniendo agit. Datur per ſe cochleatim, admiſcetur potionibus, decoctis, infuſis, electuariis pectoralibus.

*SYRVP. FLORVM JACEÆ.

SYRVP. FLORVM PERSICORVM.

Iacea hic intelligitur, quæ vocatur etiam viola tricolor. Vterque ſyrupus, teneræ ætati datus, vomitorius eſt, atque hac occaſione ſæpe aufert cauſſam et fomitem epilepſiæ infantilis: vnde in catalogo remediorum huic morbo aduerſantium legi merentur. Dantur per parua cochlearia, donec eueniat vomitus. Prouectiori etiam puerili ætati vix amplius vomitum mouent: ſunt tamen reſoluentia et diapnoica: poſſuntque externe etiam adhiberi pro ſtimulo in clyſteribus, ad vnciam dimidiam, vel integram, quæ in magis adultis etiam longius procedere debet.

SYRVP. FRAGORVM.

A fragis vinoſam dulcedinem et diureticas vires habet, cum analeptica virtute. Additur iulepis.

SYRVP. DE FVMARIA.

Aſſumitur ad electuaria, quæ ſcabioſis, aut alia impuritate cutanea laborantibus, vt et lue venerea affe-

affectis præscribuntur : quorum in gratiam paratis decoctis etiam addi potest. Sed et scopo generali diapnoico solet adhiberi.

SYRVP. DE GLYCYRRHIZA.

Est pectoralis : additur eclegmatibus, electuariis et potionibus ac decoctis, quæ tussi laborantibus destinantur.

SYRVP. GRANATORVM.

Habet gratissimam aciditatem refrigerantem et analepticam, cum virtute subadstringendi : vnde potissimum expetitur ad medicinas, quæ parantur morbis cum impetuosa aut nimia excretione coniunctis.

SYRVP. HEDERAE TERRESTRIS.

Hedera terrestris est plantula viribus traumaticis ac resoluentibus pollens : quare ad affectus pectoris ac renum, vt et vteri, commendatur : vnde hic syrupus medicamentis, quæ subuenire his partibus debent, addi solet.

SYRVP. HYSSOPI.

Est compositus ex resoluentibus, aperitiuis, incrassantibusque pectoralibus. Conuenit igitur in tussi et asthmate.

SYRVP. IVIVBINVS.

Est a MESVE ad nos transmissus, qui ad raucedinem et tussim, vt et pleuritidem, ipsum laudat.

Deliniendis faucibus et incraſſandis defluxionibus acribus et irritatiuis ſatis commodus eſt. Idemque ad vrinæ vitia æque bene confert. Lambi vel lingi potius debet, aut per parua cochlearia in vitiis pectoris aſſumi, quam confertim deuorari aut aquis dilutus hauriri.

SYRVP. LENITIVVS DE TRIBVS.

Eſt ſyrupus aluum blande ſubducens, ſed parum hodie vſu tritus, ipſis fatentibus Dom. AVGVSTANIS, a quibus acceptus eſt. Nomen habet ab eo, quod folia ſennæ, cum multis aliis ingredientibus, ter infundi debent. Carere illo commode poterimus.

SYRVP. DE MANNA SOLVTIVVS.

Eſt laxans et fere a mulieribus ex pharmacopolio petitur, vt puerulis exhibeatur, ſi quando aluus illorum tarda moleſtias facit. Datur per exiguas portiones, donec effectum ſufficientem edat.

SYRVP. MASTICHINVS.

Ventriculo roborando, quin et cerebro commendatur. In omni affectu frigido ſatis bene conuenit. Dari poteſt vncia dimidia ad ſeſcunciam.

SYRVP. MELISSÆ.

Vocatur etiam *e ſucco meliſſophylli*; tribuuntur ipſi vires cordiales et vterinæ. In febrium malignarum curatione, ſi lipothymiæ accedunt, multum celebra-

lebratur: itemque laudatur, quando menſes moram trahunt.

SYRVP. MENTHÆ.

Carminatiuus eſt et ſtomachicus, vt et vterinus: minus, quam bini præcedentes gratus.

SYRVP. MYRTILLORVM.

Eſt refrigerans et blande adſtringens, quare in hæmorrhagiis ac alui et ſeminis fluxu, vt et fluore albo vel decoctis vel electuariis additur. Subſtituitur ſyrupo myrtino ſimplici, quem veteres ex baccis maturis myrti parabant, quibus noſtra patria deſtituitur.

SYRVP. MYRTINVS COMPOSITVS

Et Græci et Arabes myrti baccis multum tribuebant in compeſcendis omnis generis profluuiis, tam ſanguinis, quam ventris et vteri. Dabant aqua ferrariorum dilutum, pro qua hodie fere aqua aut ſuccus plantaginis adhibetur. Præcipue ad electuaria et confectiones, quibus tali caſu vtimur, ſolet expeti.

SYRVP. DE NICOTIANA.

Syrupus hic a centum et pluribus iam annis valde fuit celebratus ad ſuppuratos in pectore ſanandos ad tuſſim humidam, quando expectoratio intercepta eſt aut difficilius ſuccedit. Præclare ipſum laudat EPIPHANIVS FERDINANDVS *biſtor. XXXII.*

pag. 100. affert autem descriptionem a nostra diuersam. Alii etiam commendant ad epilepsiam: credo, si quid est in ventriculo et primis viis, quod vomitu excitato expellat, aut per aluum educat. Pectorali scopo syrupus hic datur modica quantitate, quæ vomitum peragere nequeat, vt effectu potius resoluente et anodyno iuuet: quod si vero vomitus excitetur aut ventriculi subuersio illuc spectans, hausto iusculo, vel vino calido aromatisato, mox conquiescet. Est etiam vsus externus, vt ad vlcerum sordidorum sinus repurgandos addatur paratis decoctis.

SYRVP. NVCISTÆ.

Est carminatiuus et stomachicus, potestque cum fructu adhiberi in nausea et vomitu sedandis.

SYRVP. NYMPHÆÆ.

Est anodinus et refrigerans: in gonorrhœa virulenta, vrinæ ardore, mensibus dolorificis cum fluore albo ac hæmorrhagiis impetuosis confert. Datur cum decocto aliquo aut sero lactis.

SYRVP. PAPAVERIS ALBI.

Est diacodion GALENI. Tussi acri cum materia tenui et irritatiua conducit, illam demulcet, et somnum blande inuitat. Datur per se lingendus, additur emulsionibus, linctibus. Etiam ad vrinæ ardorem facit, potestque iungi cum syrupo dialthææ Ferneliano.

SYRVP. DE PAPAVERE COMPOSITVS.

AMESVE acceptus est, qui illum commendat ad tussim siccam, destillationes acres irritatiuas, phthisin et vigilias nimias, præsertim ab importuna tussi dependentes. Alii laudant effectum præsentem a sola gargarisatione, si dilutus vel aqua frigida, vel destillata farfaræ aut capilli veneris adhibeatur. JACOBVS SYLVIVS etiam ad alui fluxus et dysenteriam bene ipsum facere perhibet.

SYRVP. PAPAVERIS ERRATICI FLORVM.

Vires habet blande anodynas et pectorales, quare iulepis et decoctis vtiliter additur.

SYRVP. PASSVLARVM LAXATIVVS.

Vires habet a foliis sennæ et manna. Non est contemnendus, modo caueatur ne sennæ virtus laxatiua coctione, quam non perfert, dissipetur. Potest ex tempore parari, si passulis satis iam decoctis brodium istud feruidum infundatur sennæ, et super cineres aliquandiu digeratur, admisceaturque decolato huic infuso saccharum et manna, sicque calide hauriatur: quod remedii genus sæpe expertus sum in viro, qui hernia scrotali laborabat, quam bracherio coercebat: quo tamen, quia sibi a laboribus durioribus non satis cauebat, impedire non poterat, quin semel iterumque intestinum descenderet. Repositione facta atroces dolores permanebant, quibus illico

illico solatium afferebat tale infusum ex senna cum passulis, (quæ tamen, vbi res moram non patitur, omitti possunt) et manna. Dari potest vncia vna ad duas.

SYRVP. PÆONIÆ FLORVM.

Additur mixturis et potionibus aut electuariis, quæ pro epilepticis parantur.

SYRVP. POMORVM.

Antiqui est vsus. PAVLVS ÆGINETA laudat iam sub nomine *hydromeli*. MESVE tribuit ipsi vim cor imbecillum roborandi, atque syncopen tremoremque cordis emendandi. Acida poma dulcibus adduntur, vt in febribus ad calorem exstinguendum tanto magis valeat.

SYRVP. DE PORTVLACA COMPOSITVS.

Semen portulacæ, quod inter frigida minora refertur, tritum cum succo intybi et granatorum acidorum coquitur. Ab eo vim subadstringentem suscipiunt succi. Commendatur a MESVE ad sitim, febrium ardorem, ventriculi et hepatis intemperiem calidam corrigendam, tamquam valenter refrigerans.

SYRVP. DE PVLSATILLA.

Pulsatilla acrimoniam vehementem, exurentem et vesicas excitantem, non minus ranunculo, possidet. Nescio itaque, quam securi aut acrimoniæ illius experi-

pertes sint eius flores. Syrupi huius mentionem factam ab vllo auctore, præter D. D. ZORNIVM in *botanologia*, nondum inuenire licuit. Is autem perhibet, quod variolas ac morbillos potenter expellat, pectori pulmonibusque, excretionem promouendo et ferociam tussis minuendo, bene faciat, angustiasque pectoris minuat. Circumspectæ permittitur experientiæ. Mihi de vsu eius certo doctos viros coram et per litteras percunctanti, nondum inuenire licuit, qui se profiteretur vsus felicis documenta vidisse.

SYRVP. DE DVABVS RADICIBVS.

Est decoctum radicis petroselini et fœniculi cum sacchari s. q. Habentur ambæ radices aperitiuæ simulque ipsis inest aliquid mucilaginosi et humorum acrimoniam demulcentis : quare in morbis diuturnis et intermittentibus febribus, præsertim nothis, commendari eius vsus consueuit : vbi tamen dubites, annon præstet iusculum ex his radicibus coctum; exemplo magni CRATONIS, qui decocto raparum exsiccatarum mira se præstitisse reliquit scriptum.

SYRVP. DE QVINQVE RADICIBVS APERIENTIBVS.

Ab oxymelite composito hoc tantum differt, quod in illo plus aceti accedit, et semina carminatiua simul decoquuntur. Est a MESVE traditus, qui bilem crassam et auulsu difficilem illo incidi abstergique, et obstructa hepatis, lienis ac renum aperiri docet. Videantur supra dicta de oxymelite.

SYRVP. RIBIVM.

Dum ignoramus, quid *ribes* Arabum ſint, aut ipſis deſtituimur, noſtris vtimur, et ab iis profecto ſucco acido-dulci, refrigerantem et ſubadſtringentem effectum non iniucundum præbente.

SYRVP. ROSARVM EX INFVSIONE.

Præſcribuntur roſæ rubræ: quum vero intentio ſit ſyrupum ſolutiuum parare, æque vt in altero, qui fit multiplici infuſione, puto pallidas in vtroque debere adhiberi. Infuſum ita paratum vocari ſolet *mucharum* roſarum. Hoc ſi affundas radicibus cichorei herbæque fumariæ, accipies addito ſaccharo *ſyrupum roſatum laxatiuum de ambubeia*, qui a RAYMVNDO MINDERERO olim in pharmacopœam Auguſtanam introductus, nondum in vſu eſſe deſiit: ſi ſine hoc additamento, addito ſaccharo pares, fit ille in titulo præſcriptus. Aluum blande ſubducit, ipſisque tenerrimis drachma vna, et amplius, adultis ad vncias duas treſue dari poteſt.

SYRVP. ROSARVM SICCARVM.

Hic, quia roborans et adſtrictorius eſſe debet, ex roſis rubris parandus eſt. Commendatur ad omnem alui fluxum, vomitumque compeſcendum, et remediis fluori albo deſtinatis adiicitur.

SYRVP. ROSARVM SOLVTIVVS.

Re ipsa parum differt ab illo prægresso *per infusionem* dicto: paratur autem hic infusione multiplici rosarum recentium pallidarum seu incarnatarum. Quo recentior est, eo efficaciorem deprehendi notat MASSARIAS *p. m.* 463. qui dosin ad tres quatuorue vncias præscribit. Vocatur ob præstantem operationem *aureus*: aliis *rhodopharmacum*.

SYRVP. RVBI IDÆI.

Est gratissimus omni dote syrupus, quare iulepis analepticis et refrigerantibus frequentissime additur.

SYRVP. SCELOTYRBICVS FORESTI.

Morbo scorbutico detentis interius datur assumendus ad symptomata eius mitiganda, et exterius ad oris, faucium et columellæ erosiones illinitur, gargarismisque adiicitur. Ex pharmacopœæ Augustanæ præscripto succis fumariæ et lupuli auctior paratur.

*SYRVP. de SCILLA.

Excell. Dom. D. STAHLIVS in schediasmate, quo de vsu suarum pilularum balsamicarum disserit, hunc syrupum certis casibus addendum clysteribus docet. Puto intellexisse illum *looch de scilla*, quod superius vidimus.

SYRVP. de SCORDIO.

Interne ſumtus vim alexipharmacam exſerit, et in affectibus catarrhalibus præcipue conducit, hominibus vtique ſenibus. Externe poteſt aſſumi inter decocta, quæ vlceribus imponuntur aut ſinubus iniiciuntur.

SYRVP. de SCORDIO COMPOSITVS.

De hoc in pharmacopœa Auguſtana annotatur, quod HIERON. MERCVRIALEM auctorem habeat, quodque præcipue conueniat in febre petechiali, omnibusque morbis ab humorum corruptela ſeu putredine ortis.

SYRVP. de STOECHADE.

Eſt FERNELII, qui ipſum deſcribit *method. med. lib. VII. pag.* 127. laudatque ad cerebri atque neruorum affectus frigidos, vt paralyſin, epilepſiam, conuulſiones, tremorem et deſtillationem a capite.

SYRVPVS DE SYMPHYTO FERNELII.

Deſcribitur loco, quem modo indicauimus, *pag.* 129. Promittit, quod tabidorum et vlceratorum pulmonum ſaniem et pus blande ac leniter expurget, ſine metu erupturi ſanguinis, pulmoneſque pariter corroboret. Additur decoctis et electuariis pectoralibus. Eſt ſubadſtringens, poteſtque non

minus

minus vtilis esse ad omnis generis fluxus, tam aluinos, quam sanguineos.

SYRVPVS TVNICÆ FLORVM.

Placuit veteribus vires ipsi cordiales insignes tribuere ac analepticas, neque minus cephalicas, et alexipharmacas. Subuereor ne nimium laudando veras laudes obfuscarint. Aliquid subadstringens in his floribus est, quo atoniam aliquantulum corrigunt, atque affectibus hinc pendentibus succurrunt.

SYRVPVS VERONICÆ.

Quantæ vires veronicæ tribuantur, notum est. Harum maior pars ab infuso, quod cum saccharo plerumque bibitur, adeoque syrupus dilutus est, exspectatur. Hic vel decoctum saturatum expetitur, quod adstringens est: vt pharmacopoea Argentoratensis præscribit: vnde syrupus emergit renibus ab arenulis purgandis præcipue vtilis: vel succus a planta recenti contusa expressus, qui pariter scatet particulis terreis subadstringentibus, atque sic pectorali et nephritico scopo potissimum conducit.

SYRVPVS VIOLARVM SOLVTIVVS.

In tenera ætate aluum soluit, adultioribus, si magna quantitate detur, idem beneficium præstat. Clysteribus additur pro tenera ætate. Cum oleo amygdalarum dulcium subactus præbet bonum eclegma pectorale, quod cum spiritu salis ammoniaci anisato efficacius fit, et raucedini satis bene succurrit. Potiumculis acidulis additus in colorem eleganter

ter rubrum vertitur. Vires cordiales in medio relinquuntur.

TAMARINDORVM PVLPA.

Quicquid in tamarindis vtile eſt, complectitur, modo non ſit vehementius feruefacta inter euaporandum nimiam humiditatem. Additur bolis et electuariis.

TARTARVS CHALYBEATVS.

Eſt cremor tartari, ſpiritu vitrioli acidulatus, et vitrioli martis aliquantillo imbutus, vt ſcrupulus vnus paullo plus vnius grani contineat. Ventriculo flaccido emendando, digeſtioni et egeſtioni iuuandæ aliquam operam affert, modo illis præbeatur, qui vere atonia tali laborant, nec incauta continuatione fructus perdatur.

TARTARVS EMETICVS.

Vtiliſſima et ſcitu maxime neceſſaria ſunt, quæ de præparando hoc medicamento monet Exc. D. D. NEVMANNVS in illis prælectionibus, vbi de antimonio tractat, *pag.* 346. et 348. quibus obſeruatis cauebuntur multi errores in periculum ægrotantium et medici aliquoties decurrere viſi. Paratum ex vitro antimonii efficaciorem altero, qui fit ex eroco metallorum, plerique credunt. Doſis in adulto plerumque iuſta eſt, ſi tria aut quatuor grana præbeas: ſed vidi etiam ad quinque vel ſeptem adeo grana exhibitum non exceſſiuos vomitus concitaſſe in hominibus ruſticis, robuſtis et duris.

Ad

Ad omnia emetica pertinet cautio, ne præbeantur hominibus, qui a prægressa magna excandescentia vomituriunt, aut illis, qui febribus malignis epidemiis correpti ferociter vomunt: de quo legenda est pulcherrima dissertatio illustris FRID. HOFFMANNI *de medicina emetica post iracundiam, venenо*: ac credo plerosque casus, quibus medicinæ emeticæ funestum euentum sortitæ sunt, non tam medicamenti qualitati, quam intempestiuo huic vsui debere assignari, et erroneæ persuasioni ipsam naturam his motibus viam ostendere medico, qua eundum sit.

Si tartari emetici vnum vel alterum granum addas pilulis, quæ hydropicis præscribuntur, effectum pulchrum resolutorium et diapnoicum plerumque obseruabis: quem effectum comparare licet cum iis, quæ de refracta antimoniatorum dosi, ex præcepto SYLVII, notauimus, quum de sapa vomitoria ageremus: itemque cum effectibus sulphuris aurati, ac pulueris scillæ compositi, itemque extracti ac syrupi nicotianæ.

TARTARVS NITRATVS.

Venit etiam nomine *nitri regenerati*. Leuiter vulgari acrius est, atque penetrantius. Malunt aliqui hoc vti in inflammationibus internis curandis, quam altero vulgari.

TARTARI OLEVM PER DELIQVIVM.

Interne, dilutum prius, adhiberi potest, vbicunque opus est alcalino sale: externe adhibetur cuti

mundificandæ, cum oleo amygdalarum dulcium coagitatum et concuſſione vitri permixtum. Saponem, quem interno vſui deſtinamus, ex hoc coqui cum oleo puro oliuarum vel amygdalarum iuuat. Plurimum vſibus chymicis conſumitur.

TARTARI SAL.

Eſt alcalium omnium præſtantiſſimum. In ſicca forma vix offertur. Adhibetur aliquibus purgantibus excitandis, vt rhabarbaro et ſennæ. Plurimum vſum præſtant in laboribus chymicis. Confer vtiliſſimas prælectiones Exc. D. D. NEVMANNI *de ſalibus alcalino - fixis.*

TARTARI SAL VOLATILE.

Neſcio quibus vſibus tantopere expetatur. Sine vrinoſis, aut empyreumatico oleo vix impetrabitur: horum autem ſat multa in officinis habemus. Cum oleis æthereis digeſtum in ſaponiformem conſiſtentiam abit ſal alcali fixum, quod vocamus correctorem Starckeyanum; quem deſtillationi committentes ſal etiam volatile nanciſcimur, ſi vera promiſit ipſius auctor: ipſe enim experimentum nondum feci, etſi vidi ſemet in vitro, quo aſſeruatur, ſponte eleuare floſculos, qui oſtendunt volatilitatis rudimentum.

TART. TARTARISATVS.

Vocatur etiam ſolubilis, quia, cum ipſe crudus tartarus difficillime ſoluatur, hic in quouis liquore facile diffluit. Præbet optimum reſoluens reſinoſo-

rum

rum, ſi cum ipſo ſoluto rite decoquantur: vnde colligitur in noſtro corpore non minus eſſe efficax ad coagula reſoluenda. Vſus externus eſt ad vlcera ſordeſcentia blande repurganda, vt conſolidationi apta fiant. Interne datur a ſcrupulo ad drachmam dimidiam: ſæpeque vel præmittitur vel iungitur vſui fontium. Adde D. D. BOERHAAVIVM *chem. p. II. p. 265.*

TART. TARTARISATVS LIQVIDVS CITRATVS.

Eſt propemodum idem medicamentum non ad formam ſiccam redactum, ſed eſſentiæ citri aut aurantiorum modico imbutum, ne ſitum contrahat. Datur drachma dimidia, quin integra.

TART. VITRIOLATVS.

Non iniuſte vocatur digeſtiuum vniuerſale: non enim ſolum primas vias detergit, verum etiam ſubit ipſos humores eorumque ſpiſſitudinem et lentorem emendat, ſicque excretionem ſæpe feliciter affert tam menſium, quam hæmorrhoidum diu fruſtra molientium, ſi iuſta doſis, drachma dimidia et amplius, debite diluta fuerit. Frequentiſſimus hodie eſt vſus inter puluerес ſalinos ab illuſtri STAHLIO profectos, quorum ſpecimina ſupra vidimus. Si non omnino ſaturetur acidum, dicitur *ſpiritus vitrioli* coagulatus, quem MYNSICHTVS mire praedicat.

TART. VITRIOLATVS TACKENII.

Minus pretioſus, quam præcedens, bonitate tamen ſi non præſtantior, certe nihil inferior eſt, modo in præparando adhibita fuerit iuſta diligentia. In hac vrbe a compluribus iam annis non adhibetur alius, credoque centenarios integros quotannis conſumi. Vſus eſt idem. Illud addo, quod in vlceribus repurgandis, inque fungis, qui e gingiuis ſæpe enaſcuntur, aut in vulneribus capitis e meningibus pullulant, præſtantiſſimam opem ferat pulueriſatus et inſperſus.

THERIACA ANDROMACHI.

Theriaca medicamenta veteribus dicebantur, quibus vis ineſſet hominem a noxis illis vindicandi, quas morſus et ictus venenatorum animalium intuliſſent. Hæc tamen antidotus, Neronis temporibus compoſita, non ſolum ex iſta ratione nomen accepit, verum ex illa maxime, quod trochiſcos viperarum, quos ἀ'ρλίσκους θηριακοὺς Græci dicunt, recipit: quaſi dicas antidotum ex viperis, ad morſus et ictus venenatorum animalium valentem. In eam contulerunt veteres, quicquid legiſſent ſcopo theriaco eſſe vtile: vnde factum eſt, vt longa enaſci debuerit formula. Sed et alter ſcopus erat, vt redderetur γαληνὴ, ἱλαρὴ καὶ εὔδιος, quibus nominibus eam auctor inſigniuit, quaſi denotaturus effectum a doloribus, curis et moleſtiis animum exuendi et tranquillitatem, hilaritatem, ſerenitatemque reducendi. Atque hoc potiſſimum ſcopo opium, crocus, aromata adiiciuntur: cumque moleſtiam adferre

opium

opium crudum potuiſſet, indiguit corrigentibus variis; ex quo altera cauſſa elucet, cur longa fuerit facta formula: quæ vere non tam confuſa eſt, vt vitio creati cenſores aliqui impudenter declamant. Meo iudicio referri inter compoſitiones magno ingenio factas debet, cui admodum paucæ inter muſteas noſtras conferri merentur, ſi modo vlla meretur. Quum theriaco proprie dicto ſcopo nobis parum proſit, potiſſimum conſiderabimus, quam bene ad vſum anodinum concinnata fuerit.

Baſin conſtituit opium, cuius figentem ac motus ſiſtentem efficaciam corrigunt ſcilla, duplo pondere adiecta, ac piper: vt quoduis opii granum antagoniſtam habeat duo ſcillæ grana, ac piperum granum vnum cum dimidio. Sed nec ſola, quamuis præcipua, hæc ſunt corrigentia; verum ex abundanti magna alexipharmacorum, carminatiuorum et diureticorum copia accedit, actiuorum vtique omnium, quæ narcoſin ab opio inducendam minuunt, et excretiones blande concitant.

Quatuor ſcrupuli theriacæ, iuxta noſtram deſcriptionem paratæ, fouent vnum opii granum: ex quo æſtimabimus, quouſque liceat danda illa progredi. In tenerrimis puſionibus, torminibus alui ad continuos et miſerrimos eiulatus compulſis, vidi minus quam dimidium grani, additum pulueri Marchionis et magneſiæ albæ, opem optatiſſimam quaſi momento attuliſſe. In prouectiori ætate et morbi vehementiſſimo impetu maiorem doſin requiri conſentaneum eſt. OLAVS BORRICHIVS *de ſomn. et ſomnifer.* § 32. teſtatur in peſte Hafnienſi obſeruatum fuiſſe, hanc antidotum non profuiſſe, niſi ad duas, quin tres integras drachmas eſſet oblata. Ad tres

etiam drachmas, vna cum dialcordii drachmis ſex, ex aceto bezoardico oblatam, in peſte Polonica ſaluti fuiſſe expertus teſtatur D. D. ERNDL *Eph. A. N. C. Centur. VI. obſ. XXX. pag.* 255.

Accuſatio grauiſſima opii crudi, quod excretiones ſupprimat, theriacam adeo non ferit, vt potius manifeſtum ſit quam belle eas, tempeſtiue et iuſta quantitate porrecta, promoueat. Exemplo eſſe poſſunt *pilulæ ad dyſtokiam* b. D. D. MAVRITII HOFFMANNI, quæ fiunt ex theriaca, additis, quantum modo ſatis ad conſiſtentiam acquirendam, pulueribus cinnamomi et glycyrrhizæ: quarum ſcrupulus vel drachma dimidia datur. Nuperrime illarum effectum in puerpera tenerrima cum gaudio conſpexi. Dolores ad partum omnes ſuperius vergebant, ferociterque vomituriebat. Offerebatur bolus ex iiſdem ſubito paratus, cuius partem primo oblatam illico reuomebat, alteram retinebat aſſumtam, et vix horæ dimidio interiecto geminam prolem feliciter enitebatur, lochiis bene deinceps fluentibus, ceterisque omnibus rite ſuccedentibus.

Longum foret de vtilitatibus huius per tot ſæcula probatiſſimæ medicinæ ſcribere, varioſque modos interne externeue adhibendi ediſſerere. Diiudicanda hæc res eſt ex communibus medicinæ rationalis doctrinis, de vſu anodinorum tempeſtiuo. Certe quum vehemens fibrarum ſolidarum ſtrictura ſpaſmodica liberum et æquabilem humorum circulum præcipue turbet, iuſtumque excretionum ſalubrium ſufflaminet, aut vario modo corrumpat peruertatque, ſucceſſum: conſentaneum vtique eſt eam medicinam, quæ ſpaſmos demulcet et æquabilitatem motus ſic reſtituit, ad ſalutem plurimum conferre

et excretiones ſalutares reſtituere. Quumque theriaca id omnium ſecuriſſime et certiſſime efficiat, permittendum eſt, vt laudibus bene partis porro efflореſcat: quas tuebitur in eorum manibus, qui iuſto tempore, nec temere nec timide, adhibebunt.

Nec omittendum videtur, quod vix vſibus apta ſit recens parata; et minimum ſex menſes iam adeptam adhiberi oporteat. Quo vetuſtior eſt, eo mitior deprehenditur.

THERIACA DE CITRO.

Theriacam et mithridatium æquis partibus coniungit, gratiamque accipit a corticibus citri conditis. Non mala compoſitio, quæ ad vnciam dimidiam offerri poteſt, vbicunque vel tormina alui a cauſſa frigida vexant, vel nauſea ac vomituritio ſedari debet. Conueniet etiam grauibus temporibus vel locis verſantibus ad transſpirationem liberam conſeruandam, aluique fluxus compeſcendos.

THERIACA CÆLESTIS.

IOSEPHVS QVERCETANVS, more chemicorum ſui ſæculi, præclarum putabat, ſi in anguſtum contraherentur medicinarum vires, vt pauca grana vel guttulæ effectum abſoluerent. Eius perſuaſionis ductu theriacam veterem reformare aggreſſus eſt. Reſcindebat itaque mel, quod tres quartas partes illius complet: et loco eius, quod in theriaca Andromachi pulueres vegetabilium ponuntur, eorum plerosque extractioni permiſit, indeque

craſſamentum parauit excipiendis ceteris idoneum. Videatur ipſemet in *pharmacop. dogmat. reſtitut. p. m. 528. ſeq.* Sed quia philoſophis et filiis artis ſolis offere, vt ſcribit, *pretioſas has raritatis margaritas voluit*, multaque *philoſophica loquendi ratione et conſuetudine* protulit: factum eſt, vt in diuerſis officinis ad diuerſum modum præſcriptum præparetur: quod apparebit deſcriptionem noſtram contendere cum aliis haud grauato. Quod moneo, vt a nobis deinceps dicenda capiantur de ea præparatione, quæ terrarum noſtrarum pharmacopoeis præſcripta eſt.

Baſis hic manet eadem, opium ſcilicet, ſed ſpiritu vini extrahendum, ac deinde aqua, per acidum vitriolicum remixta. Corrigentia manent, ſed non integra et integris viribus; pulpam ſcillæ, ſed tertia parte minutam, reliquit Piper longum reliquit, ſed ad ſuperciliоſæ artis ductum bis terue recoqui, id eſt, toties corrumpi iubet: album et nigrum omnino omiſit. Addita ſunt Andromacho ignota, bezoar vtrumque, bezoardicum minerale, ambra, lapidum pretioſorum ſolutiones, cinnabaris antimonii et natiua, pluraque huius generis. Vſque adeo diligens erat, vt et extractorum vegetabilium reſidua forti ignis tortura in cineres redigeret, potiundi ſalis cauſſa, quem adderet. Mihi perſuaſum eſt bonum QRERCETANVM operæ pretium non feciſſe ſua hac emendatione: potiusque delector illa ANDROMACHI theriaca, quæ cælum non affectat, ſed humi repere cum mortalibus, quorum vſibus deſtinata eſt, ſatis habet.

Difficile eſt doſin determinare. Scriptum alicubi inuenio drachmam continere duo admodum grana opii: quod mihi vix probabile videtur, quum illa Andromachi, quæ tantam vim mellis habet, quatuor ſcrupulis non niſi vnum granum includat. Ni tædet audire ſua magnifice ebuccinantem auctorem, ipſum adducam de vſu diſſerentem: *Exhiberi poteſt ſtatim a primo præparationis die, et ſufficient pro doſi duo vel tria grana vt plurimum, et habebis theriacam admirabilem, cuius effectus ſunt cæleſtes ac diuini, contra omnia cuiuſcunque generis venena et affectus peſtiferos, deploratos et inturabiles. In ſumma, hæ ſunt veræ illæ theriacæ et alexiteria pretioſa et inæſtimabilia, digna profecto, vt regibus et potentibus offerantur: quorum vtique præparatio longa eſt ac difficilis: nec magiſteriorum, quæ adduntur, præparandorum ratio omnibus obuia eſt, ſed magno ingenio et ſolida eruditione præditis viris, veriſque philoſophis et chymico-medicis, quibus hæc arcana potiſſimum dedicare ac conſecrare volui, reſeruatur. Ceteræ vero turbæ et plebeculæ communi, abunde iam alias ſatisfactum eſt.*

THERIACA DIATESSARON.

Quatuor puluеres melle excipiendi nomen ipſi impoſuerunt. AETIO et PAVLO AEGINETÆ iam cognita, quamuis in aliquibus diuerſa. Noſtra per Arabes eſt transmiſſa. Opium non habet, ſed alexipharmaca, carminatiua et excretiones prouocantia. Iumentis ſat commode datur, atque

pro his potiſſimum parata proſtat. Sed et hominibus eſt vtilis, ſi temporibus locisque grauibus capiant drachmam vnam vel alteram. Ventriculum quoque et inteſtina, flatulentiis diuexata, iuuat. Veterinariæ medicinæ auctores addere præcipiunt ſcobem eboris, et ſic vno auctiorem vocant *theriacam diapente*, id eſt, ex quinque rebus compoſitam, cui mirificas vires tribuunt ad iumenta tam a morbis ſeruanda, quam eadem curanda.

THERIACA PRO FAMILIA.

Etiam hæc opio deſtituta, adeoque ſcopo anodino non apta eſt. Continet pulueres vegetabilium, alexipharmacorum et carminatiuorum ſatis laudabilium, qui craſſamento ex fructibus iuniperi, ſambuci et ebuli, adiecto etiam melle, excipiuntur. Conducet omnibus iſtis, quibus præcedens, ſubiectis et conditionibus. Optimum videtur cum aceto aut ſucco citri dilutum exhibere, quod etiam de theriaca Andromachi tenendum eſt.

TINCTVRA ANODINA.

Vncia vna continet, quicquid de drachma opii ſolui potuit: drachma vna fere octo grana fouet: vnde ſcrupulus dimidius pro doſi ſufficit, hoc eſt guttæ XII. ad XV.

TINCTVRA ANTEPILEPTICA.

Est instar liquoris cornu cerui succinati, cum essentia castorei mixti. Optimus spiritus, in descriptione requisitus, est ille, qui non caret omni phlegmate: nam purissimus vix soluet salia. Dari possunt adulto guttæ XX. XXX.

TINCTVRA ANTIFEBRILIS.

Medicamentum videtur non esse aspernandum: sed vsum, a nemine quippe edoctus, tradere non valeo. Febribus intermittentibus, primarum viarum vitio exortis, præcipue conueniet. Sed aloen ac myrrham, vt omnes æque bene laturi sint, vereor. Drachmam dari, diebus vacuis, posse existimo.

TINCTVRA ANTIMONII ACRIS SIMPLEX.

Est spiritus vini nitro caustico imbutus, ab antimonio parum trahens, præsertim si aliquanto iam tempore parata stetit. Parum differt a tinctura tartari, quam infra videbimus, parque adhibendi est modus. Seorsim prostat TINCTVRA ANTIMONII REGVLINA, quam nulla re a priori vere diuersam existimo, atque tam viribus, quam vsu, conuenire puto.

TINCTVRA ANTIMONII TARTARISATA.

Dum antimonium cum ſale tartari liquatur, enaſcitur aliquod hepar ſulphuris, a quo ſimul regulina pars antimonii minutiſſime reſoluitur. Superfuſus ſpiritus vini ob oleoſas ſuas partes ſeſe tam ſulphureis, in illa maſſa contentis, quam alcalinis, imbuit, atque ſimul aliquas regulinas in ſe recipit. Indubium hoc aſſertum redditur, ſi quis modo velit explorare illud concretum, quod vitri, in quo hæc tinctura aſſeruata fuit, lateribus et fundo adhæreſcit. Non ſolum intus ſumtum, ad grana decem, vomitum concitat, verum etiam ſuper carbone, ope flammæ candelæ, conflari poteſt in globulos regulinos, quod mihi ſemel iterumque ſucceſſit. Confer, ſi placet, diſſertationem inauguralem D. D. MAYERI nunc Phyſici Vlmenſis, de *tinct. antimonii tartariſata*, *Altorfii* 1727. habitam. Et quamquam maiorem forte antimonii corporalis partem hæc tinctura refrigerata dimittit, nemo tamen facile determinauerit, quanto tempore opus ſit, vt omne deponat: multo minus aſſeuerauerit vmquam omnino liberam ab illo reddi.

Noui excellentem practicum, qui hanc tincturam parare ſolet ex æqualibus antimonii et ſalis tartari partibus, paratamque ſuperfundere crudo antimonio pulueriſato, atque cum ipſo per aliquot dies digerere, ita fit, vt omnem odorem ſulphuris mox deponat. Sic paratam ſatis magna quantitate ſumendam ægrotis ſuis, in rheumaticis affectibus, conſpicuo plerumque fructu præcipit.

Eſt

Est hæc tinctura satis nobile medicamentum resoluens et aperiens, quem effectum non solum quasi saponaceæ coniunctioni oleosi et alcalini tribuo, verum etiam aliquid antimonialibus partibus, quantumuis paucis, adscribendum puto. Quare efficaciorem vtique sentimus recens paratam, quacunque alia ætatem quandam adepta. In impuritate sanguinis lymphæque spissescentia corrigenda operæ facit vtique pretium. Magis resoluens redditur, si vnciæ huius tincturæ vni addamus terræ foliatæ tartari siccæ drachmas duas vel tres, hæcque digestionis beneficio iungamus: quod in pueris atrophicis et indurationæ glandularum mesenterii laborantibus egregium medicamentum me edocuit amicissimus collega D. D. IVNCKERVS.

Iuuatur medicamenti efficacia diluentium congruo vsu: addi itaque possunt infusa morbo conuenientia: aut acidularum vsui interponatur. Bataui aquam calcis viuæ cum vel sine lacte simul iungunt.

Dosin non decet nimis timide offerre. Sæpius ipse guttas L. LX. exhibui: alios noui drachmam integram, et amplius, bis, ter, quater vno die assumentes, modo copiose diluta sit, non solum impune, verum etiam optimis rebus suis.

Potest etiam hæc tinctura misceri spiritu cornu cerui, quo belle antispasmodica et tonica euadit.

TINCTVRA ANTI-PHTHISICA.

Quo consilio phthisi laborantibus destinetur, intelligi potest ex illustris quondam viri D. D. WEDE-

WEDELII amœnitatibus materiæ medicæ *p.* 349. *Fit*, inquit, *non raro in lipothymiis, in phthisi, sudoribus colliquatiuis, scorbuticis et hecticis, vt dissoluatur corpus sudore, cum præsentanea noxa ac virium debilitate insigni. Opponenda tunc sunt, quæ seri halituositatem et rarefactionem nimiam concentrant ac refrænant. Præstant id interius constringentia, austera et remorantia terrea, — vt tinctura antiphthisica — quacum non raro stitimus sudores nimios varii generis.*

Ergo non toti phthisi curandæ destinata est, sed symptomati vrgenti oppositа: quo scopo quam sit idonea, quantumque sudores illos stitisse vere prosit, non est huius loci quærere. Laudatur ab aliis in gonorrhœa sistenda, aliisque fluxibus nimiis compescendis, vt et ad pollutiones nocturnas. Danda præcipitur a guttis decem ad XXX. et vltra, caute tamen propinanda, si ventriculus iam sit debilis.

* TINCTVRA APERITIVA MOEBII.

Valde olim celebris et celeberrimo auctori suo lucrosa tinctura fatum experitur plurium, quæ arcanæ olim fuerunt, medicinarum, quando publice innotescunt. Nihil aliud fuit, quam spiritus salis communis per alcali semisaturatus, et coloris suscipiendi caussa floribus quibusdam rubris infusus. Docet illam conficere modo laudatus b. D. D. WEDELIVS *amœnit. mat. med. pag.* 179. ibidemque de viribus differit, quas longe verissimas prædicat, hypochondriacis, stomachicis, aperitiuis.

Adde

Adde III. HOFFMANNI *obseruat. physico-chym. pag.* 134.

TINCTVRA AQVILEGIÆ FLORVM.

Est tinctura aquosa, modico spiritus vitrioli acidulata. Flosculi additi colorem tradunt, vires a spiritu vitriolico pendent. Bonæ sunt huius generis tincturæ ad feruorem et æstum sanguinis nimium compescendum, sitimque sedandam. Infunditur vncia dimidia vel integra potus ordinarii mensuræ vni, sicque bibenda porrigitur. Libra tincturæ dimidia spiritus vitrioli drachmam dimidiam accipit.

TINCTVRA BALSAMI SVLPHVRIS.

Fit tinctura sulphuris terebinthinatis particulis imbuta. Nescio quibus prærogatiuis præ balsamo sulphuris gaudeat: vsus idem erit tam internus, quam externus, qui est balsami.

TINCTVRA BELLIDIS FLORVM.

Idem est vsus, qui de tinctura florum aquilegiæ fuit indicatus.

TINCTVRA BENZOES.

Rarius ad internos vsus adhibetur in pectoralibus affectibus. Frequentior est vsus externus cosmeticus

meticus, quando vnciis aquæ quatuor drachma vna huius tincturæ infunditur, vnde fit liquor totus lactescens, cui nomen *lactis virginis* tribuitur, Est satis innocens cosmeticum, quod nitorem cuti gratum conciliat, eamque mollem reddit et seruat. Debet super eam siccari. Etiam in sericis, vbi color obsoletus factus est, ad illum restituendum valet.

TINCTVRA BEZOARDICA.

Est mixtura simplex composita, nescio an vllo momento melior, et annon potius aliquanto deterior. Refertur ad celeberrimum chymiatrum D. D. MICHAELEM: sed descriptiones admodum variant. Illa, quæ in pharmacopœis AVGVSTANA et ARGENTORATENSI legitur, longe minus est composita, parumque differt a mixtura simplici, nisi quod colorem rubrum habet, quum illa sit excolor, aut tantum flauescat. Sed nostra nimis recedit a simplicitate et excessiue opiata est. Quo fit vt dosin non liceat attingere eam, qua alias efficaciam laudabilem exserit. Nam ad præscriptum parata continet in vncia vna integrum, et paullo amplius, opii scrupulum; vt drachma duo grana et dimidium complectatur. Et quamquam incidere possunt morbi, vbi opiato adiecto opus esse potest: illud tamen nec perpetuum est in febribus aliisque morbis: et continuationem minime securam præstant opiata. Consultius itaque puto, habere tincturam hanc sine opio: quia casu existente facillime potest gutta vna

vel

vel altera essentiæ anodinæ aut laudani liquidi admiſceri.

Datur illa ſine opio vt mixtura ſimplex, de qua ſupra dictum eſt, ampliſſimumque vſum habet diapnoicum, aperitiuum, leniſſimeque anodinum. Noſtra hæc vix vltra duodecim aut viginti guttas, præſertim ſi doſis ſemel iterumque repetenda eſt, ſecure præbebitur.

TINCTVRA BEZOARDICA CVM SPIRITV CORNV CERVI.

Haud parum concinnior eſt deſcriptio nouiſſima priori, quæ in editione præcedente legebatur, et nota ſubiecta ſatis acriter configebatur. Eſt etiam fundamento mixturæ ſimplicis ſuperſtructa, ſed acidum ſpiritus vitriolici refringitur per ſal volatile alcalinum, quod ſpiritus cornu cerui vehit: adeoque ad naturam ſalis medii multum accedit, atque diuretico-diaphoreticum quidem effectum edit: ſed refrigerante, temperante et anodina virtute inferior eſt ordinaria. Dari poſſunt guttæ XX. XXX.

TINCTVRA CATHARTICA.

Haud parum eſt melior et efficacior priori deſcriptione tradita. Spiritus vini reſinis ialappæ, mechoacannæ ac ſcammonii imbutus eſt: nam a radicibus ellebori nigri nihil poteſt recipere. Dari poteſt a drachma vna ad ſcrupulos quatuor: eritque

consultissimum cum syrupo rosarum solutiuo mixtam bibere, ne resina vehiculo aquoso accedente præcipitetur.

TINCTVRA CATECHV.

Est catechu compositum quoddam Iaponensium, in cuius naturam singulari libro inquisiuit quondam D. D. HAGENDORNIVS. Natura pollet austera, styptica: quare ipsi inter adstringentia regnum a multis defertur. Laudatus auctor præfert hanc tincturam omnibus ex coralliis, marte, hæmatite et sulphure vitrioli paratis. Quin anodinas etiam virtutes ipsi opio inuidiam facientes tribuunt. Dantur guttæ XX. ad XL. nisi consistentiæ sit spissioris instar extracti liquidi: sic enim X. XX. sufficiunt.

TINCTVRA CONFORTATIVA.

Nisi me omnia fallunt, titulus hic promittit medicinam aphrodisiacam, quæ languidos in venerem excitet. Frigidis et phlegmaticis concedi potest, non autem plethoricis et ad ebullitionem sanguinis procliuibus. Est essentia ambræ composita. Dari possunt guttæ XX. XXX.

TINCTVRA CORALLIORVM.

Tincturæ coralliorum tantum non omnes pertinent ad superstitionem chemiatricam: quod viri cordati iam diu agnoscunt et profitentur.

ETTMVL-

ETTMVLLERVS iam pridem ſcripſit examen tinCturarum huiusmodi, et poſt ipſum STISSERVS *Actor. labor. chym. ſpecim. III. cap. V.* ſpecimina varia examini ſubiecit. Pretio, quod ipſis ſtatuitur, reſpondens operæ pretium certe nulla facit. Binæ, quæ hic deſcribuntur, opinioni et fiduciæ vulgi datæ ſunt. Dari poſſunt ad drachmam dimidiam, commodo vehiculo permixtæ et dilutæ.

TINCTVRA GRANORVM ACIES.

Grana e baccis ſambuci intelligo arillos alias dictos Ex his contuſis oleum expreſſum obtinetur, quod vomitoria virtute certis caſibus commendatur. Quid autem ſpiritus rectificatus tam ex his, quam vitriolo crudo, extracturus ſit, non video. Iudicent experti.

TINCTVRA GRANORVM KERMES.

Eſt tinctura aquoſa, inſtar illarum, quæ ex floribus quibuſdam fiunt, parum acidulata, iucunde rubicunda. Tribuitur ipſi virtus cordialis, quæ ita intelligenda eſt, quod principium ſalinum ſtimulans animalis proſapiæ, a millepedum et cantharidum ſale gradu tantum diuerſum, motus exſtimulat, adeoque pulſum notabiliorem et excretiones auctiores reddit, atque has inter vrinam ſeorſim pellit. Doſis eſſe poteſt, vbi nihil prohibet, vt ſimilium aquoſo menſtruo paratarum.

Angli ſuam *tincturam ſacram* celebrant, quæ et *hieræ* vocatur, ex ſpeciebus hieræ picræ ſimplicis et coccionella, granis Kermes etiam longe præferenda, cum vino Canarienſi paratam, quæ ventriculo roborando, chylificationi iuuandæ, cachexiæ emendandæ inſignem in modum prodeſt, atque his œconomiæ naturali præſtitis fructibus ad complures grauesque morbos propulſandos inſeruit: quam noſtræ, vel notitiæ cauſſa, ſubiungere viſum fuit. Deſcriptio legitur in pharmacopœa Bateana.

TINCTVRA HYPERICI FLORVM.

ANGELI SALÆ encomio maxime innotuit, qui admirandam eam prædicat, ad curandam melancholiam ac deprauatam imaginationem, maiusque præſtare auxilium, quam aliud quoduis nobiliſſimum ac pretioſiſſimum medicamentum teſtatus, ſuamque experientiam allegat. Etiam externus vſus eſt in vulneribus et vlceribus. Interne datur, vbi morbus ſpirituoſa admittit liberalius danda, drachma dimidia ad integram.

TINCTVRA LACCÆ.

VſUs eſt externus in laxitate, cruentatione et ſcorbutica exulceratione gingiuarum, præſertim ſi ſub ſaliuatione euenerit. Diſtemperatur melle roſarum vel aquilegiæ atque linteo penicillo illinitur.

* TINCTVRA LITHON-TRIPTICA ROTHII.

Institor huius medicinæ per Europam celebris fa-
ctæ, ciuis Lipsiensis, vt litteris ac commerciis florentissimæ vrbi notum est, multum vendenda illa lucratus fuit. De eius genealogia ad posteritatis memoriam transmittere liceat, quæ a viris certis accepi. Laborauerat *Rothio* nephritico morbo, atque a medico quodam præscripta fuerat medicina, quæ molestiis leuandis plurimum profuerat, ex fructibus acaciæ cum nucleo contusis, et aliquantillo cantharidum, spiritu vini extrahendis. Hæc quum ipsi fuisset vsui, cœpit medicinam celebrare, ipsiusque publicam mercaturam, impetrato priuilegio exercere. Est diuretica, sed lenissime, et insuper tonica, adeoque modesto et prouido vsui satis idonea, quamuis ad summam rei minime sufficiens.

* TINCTVRA LVMBRICORVM TERRESTRIVM ANODINA.

Illustris quondam medicus Altorfinus D. D. IO. MAVR. HOFFMANNVS hanc in vsu habuit, suisque discipulis, quorum in tractibus Franconiæ et Sueuiæ plures artis operibus probatissimi degunt, eam commendauit, a quibus optimo cum fructu adhibitam semel iterumque vidi. Describit eam *actor. labor. chym. p.* 282. *proceſſ.* 192. Altera simplicior est: altera, quo magis sit sedatiua archei, radicem cynoglossæ, opium et castoreum in consor-

tium assumit. Singularis vtraque habetur efficaciæ in doloribus arthriticis aliisque scorbuticis et spasmodicis compescendis, in cancri occulti ad exulcerationem vergentis rosionibus et lancinationibus demulcendis, in abigendo ictero, in asthmate convulsiuo soluendo. Dosis, si sine opio parata sit ad guttas XL. LX., si cum opio, a guttis XV. ad XXV. extenditur.

TINCTVRA MARTIS ELLEBORATA.

De hac singularem dissertationem edidit b. D. D. WEDELIVS iunior, vbi vires et vsum edocet. Non est contemnenda in affectibus hypochondriaco - melancholicis et hysthericis. Dantur scopo alterandi guttæ XXX. XL. vbi vero augetur dosis ad guttas LX. C. etiam laxantem efficaciam prodit.

TINCTVRA MARTIS MYNSICHTI.

Auctor de viribus vsuque eius disserit *armament. pag.* 43. commendat ad hepatis, lienis, viscerumque hypochondriacorum vitia. Dare eam iubet a guttis sex ad scrupulum dimidium in vino vel syrupis, decoctis aliisque liquoribus, vt vires eiusdem eo melius penetrare ad remotas corporis partes possint.

TINCTVRA MARTIS CVM ARCANO TARTARI.

Est vitrioli martis cum liquore terræ foliatæ tartari solutio et coniunctio. Non potest nimius effectus adstrictorius de ipsa metui; ventriculo autem, intestinis et hypochondriorum visceribus amicam virtutem omni flacciditati, vt et verminosæ colluuiei, contrariam promittit, si paruis dosibus præbeatur, iuueturque sufficienti humido diluente et aperiente.

TINCTVRA MARTIS CVM VINO MALVATICO.

Idem de hac iudico, quod de præcedente. Ab auctore ZWELFERO valde commendatur ad obstructiones hypochondriorum reserandas, suppressosque menses euocandos, emendandamque cachexiam. Ipse dosin præscribit a drachma vna ad duas tresue.

TINCTVRA MARTIS CVM SVCCO POMORVM BORSDORFFIANORVM.

Est viribus suppar præcedenti: aliqui loco succi pomorum laudatorum assumunt succum cydoniorum; quod eodem, ni fallor, recidit.

TINCTVRA MARTIS E CROCO ZWELFERI.

Commendat hanc auctor ad eosdem vsus, qui de prægressa prædicabantur. Dosin præscribit drachmam vnam et amplius.

TINCTVRA MARTIS TARTARISATA D. LVDOVICI.

Vocatur etiam *tinctura vitrioli martis*. Vt maiori compendio, quam præcedentes omnes, paratur, sic nulli earum cedit effectu tonico roborante. Dosis est drachma vna ad duas, pro gradu saturationis. Vidi aliquando vehementem diarrhœam ab vsu nimio excitatam. Refracta dosi oblata appetitum excitat: hæmorrhagias non tam impetuosas quam diuturnas modesto vsu et paruis dosibus cohibet et in ordinem redigit: quo nomine a b. STAHLIO subinde commendatam memini.

TINCTVRA MARTIS VITRIOLATA ANTISCORBVTICA.

In penultima editione de vsu et viribus hoc erat: *Medicamentum in affectionibus hypochondriacis, scorbuticis et hystericis viscerum obstructionibus resecandis ac menstruorum obstaculis remouendis nobile.* Dari potest, vt priores ad drachmam vnam cum

vehi-

vehiculo conuenienti. Refertur ab aliquibus ad auctorem b. WEDELIVM.

TINCT. METALLORVM.

A VIGANO *medullæ chemiæ pag.* 18. primo proditam inuenio. Est acerrima tinctura alcalina, quæ ad humores viscidos resoluendos et excretiones intendendas miras vires possidet, adeoque in omnibus humorum impuritatibus, obstructionibus et infarctibus viscerum expediundis et glandulis reserandis vtilissime adhibetur. In venerea inquinatione humorum per se non sufficit: bene autem facit mercurialibus coniuncta. Solent Bataui quidam hanc tincturam miscere cum aqua calcis viuæ, sicque adhibere satis magna dosi, diuque continuato vsu, de quo videantur *memoires de l'Academie des sciençes Ann.* 1699. *pag.* 157. Ob acrimoniam valde magnam sufficienti vehiculo diluta datur ad guttas XXX—LX.

Illa, quæ cum spiritu baccarum iuniperi paratur, est magis calida et diuretica: in gonorrhœa virulenta satis conuenit.

TINCT. ODONTALGICA.

Omissa est in nouissima editione. Est spiritus vini rectificatissimus rorellæ infusus et ab ea colorem nactus. Ore detinetur. Dubium est an bonus effectus magis a spiritu quam plantula deriuari debeat. MYNSICHTVS aliam exhibet, quæ a D. D. ARGENTORATENSIBVS admissa est. Efficacissimam eam prædicat ad dolores etiam acutissimos, si ore, calefacta prius, detineatur.

TINCT. OPII D. CRAANII.

Non video quam prærogatiuam habeat memorabilem præ eſſentiis anodynis, quas ſupra vidimus. Vſus et doſis conueniunt illis.

TINCTVRA PAPAVERIS ERRATICI.

Cum tinctura aquilegiæ aut florum bellidis vſu doſique conuenit.

TINCT. PROPRIETATIS MYNSICHTI.

Eſt elixir proprietatis ſpiritu aniſato dilutum: hinc ſtomachicum, carminatiuum et pectorale remedium, quod ſatis probe ſe gerit ad drachmam vnam vel duas propinatum. Auctor eam ſic laudat: *in melancholia, hemicrania, vertigine, paralyſi, catarrho, aſthmate, tuſſi, ventriculo debilitato, cardialgia, quartana, calculo, cetera, medicamentum eſt illuſtre. Inſuper cor confortat, canitiem retardat et lætitiam adfert.*

TINCT. RHABARBARI.

Vidimus ſupra ſub titulo eſſentiæ.

TINCT. ROSARVM.

Vſus eſt, qualis tincturarum aquilegiæ, bellidis et ſimilium.

TINCT. SALIS VOLATILIS OLEOSA.

Est spiritus vini, quo diluitur spiritus cornu cerui, additis oleis quibusdam carminatiuis. Scopo diapnoico et carminatiuo dari potest illis, quibus flatulentiæ ab acido ortæ molestias faciunt, vt et catarrhalibus, præsertim senibus.

TINCT. SOLARIS.

Quum tot sint tincturæ solares passim prostantes, mirum est, vix vllam illarum innotuisse, quæ non testimonia insignium effectuum inuenerit: cuius rei causſam quærere, videtur operæ pretium. Puto in plerisque fiduciam et optimam exspectationem sub continuato vsu, deinde moderatam confortationem a spiritu vini, diætamque bonam effeciſſe plurimum. Tinctura solis orphanotrophei Glauchensis singularibus libellis additisque obseruationibus commendata est, quorum curationis exemplorum testes litteras magna ex parte ipsemet oculis vidi, ægrotosque, quibus supra spem profuit, noui: sed nec paucorum memini, qui nullo effectu diu multumque vsi ea fuerunt. Seorsim in paralyticis et epilepticis notaui factum ipsius vsu operæ pretium. De tinctura solari celsissimi Electoris Moguntini egregium testimonium exstat in *ephemeridibus Acad. N. C.* Non puto dedecere medicum talia in hypochondriaco-hystericis aliisque diuturnis passionibus subinde in vsum vocare, præsertim vbi imbecillitas magna virium et motuum potius remissio, quam exacerbatio præsens est.

TINCT.

TINCT. SPLENETICA.

Omissa est in nouissima editione. Est tartarus quidam tartarisatus liquidus. Satis bene dabitur spleneticis ad vnum et alterum cochlear.

TINCT. SVLPHVRIS.

Multos quondam laudatores habuit, qui vel scopo bechico, vel diapnoico vniuersali commendauerunt. Non caret sane vtilitate sua, atque memini curationem magnæ exulcerationis ac diuturnæ feliciter fuisse peractam tali tinctura. Existimo autem recens paratam esse debere, qua efficere aliquid cupimus: omneque, quod præstat, simplicium florum vsu æque licere consequi. Dantur guttæ XX. XXX. et amplius.

TINCT. TARTARI.

Conuenit cum tinctura antimonii tartarisata aliquam ætatem adepta. Infantibus, quando valde excruciantur torminibus, ad guttas sex vel octo data cum vehiculo commodo, vere anodinum beneficium præstat.

TINCT. TARTARI ANISATA.

Proba est in pulmonum infarctu cum tussi: itemque in colica a flatibus. Potest, vbi non exstat, ex tempore parari, si tincturæ antimonii tartarisatæ aut tartari addatur oleum destillatum anisi. Dantur adulto guttæ XXX. XXXX.

TINCT. VENERIS VIRIDIS.
TINC. VENERIS CYANEA.

Magis pertinent ad apparatum, quam ad vſum. Non facile ſuaſerim talia adhibere, quia nauſeam et cardialgiam excitant, ad vomitum compellunt et nauſeoſum ſaporem durabilem relinquunt. Illa cyanei coloris alibi proſtat ſub titulo *tincturæ lunæ.*

TRAGEA ALBA.

Sunt aromatici pulueres et carminatiui, addita ad quamuis vnciam fere integra libra ſacchari. Iuuare poteſt concoctionem et diſſipare capitis dolores a cruditatibus exortos. Danda eſt vncia dimidia ad integram, cum fruſto panis toſti vino emolliti. Finiente prandio vel cœna plerumque aſſumuntur.

TRAGEA OPHTHALMICA.

Sunt itidem pulueres aromatici et carminatiui, cum radice valerianæ et euphraſia, et duplo, ad pondus omnium, ſaccharo. Iuuat claritatem oculorum, quantum chylificationem emendat, et aliquantulum etiam diuretico effectu. Dari debet ad vnciam dimidiam.

TROCHISCI DE ABSINTHIO.

AMESVE ad nos tranſmiſſi ſunt, qui eos commendat ad obſtructiones ventriculi et hepatis, et

ab his ortos dolores et febres antiquas, pertinaces. Roborant dictas partes et appetentiam excitant. Per se dari possunt ad drachmam vnam vel duas. Frequenter adduntur speciebus pro infuso amaro vinoso.

TROCHISCI DE AGARICO.

Agaricum nec facile in puluerem redigitur, nec per se assumti operatio promta et facilis inuenitur, quum humoribus ventriculi ob leuitatem suam innatet. Propter hanc caussam exstimulatur additis salinis et acribus, et compingitur oxymelite. Per se dati trochisci infra drachmam vel sesquidrachmam parum mouere valent. Minus efficaces inueniuntur vetustatem nacti, quare videas plerumque præscriptum *recens trochiscatum*. Additur vinis medicatis, vbi a partibus remotis, vt articulis, educere materiam morbosam cupimus.

TROCHISCI ALHANDAL.

Pulpa colocynthidis instar corii tenax et pistillo resistens haud facile comminuitur: quare excogitatum est illam per gummosos succos intermixtos compingere, et sic post perfectam exsiccationem mortario indere et pistilli ictibus subiicere, vnde facile disrumpitur substantia tenax et in puluerem minutum fatiscit: qui denuo irrigatus in trochiscos redigitur, tandemque exsiccati hi ad vsum reponuntur, sic melius integras vires conseruaturi, quam si aer puluisculi omnes atomos subire et vires auferre vel alterare posset.

In codicibus Mesues ab antiquo irrepsit mendum, vt pro signo vnciæ scriberetur nota drachmæ: de quo, cum aliis, admonet MASSARIAS *de med. purgant. c. XXVI.* Et quamquam hodie omnes officinæ consentiunt in vncias: facit tamen hæc obseruatio ad intelligendum, qui factum fuerit, vt aliqui tam trochiscorum horum, quam inde paratorum medicamentorum excessiuas doses præscripserint.

Colocynthis vix alia, quam trochiscorum horum forma, imponitur medicamentis. Summa dosis ad præscriptum paratorum est ad grana sex vel decem. At vero hodie vix vllus medicus his solis vtitur ad purgandum: belliſſime tamen adduntur pilulis purgantibus, quo exstimulentur: sufficiuntque grana duo, tria vel quinque. Adde, si placet, nostram dissertationem *de colocynthide.*

TROCHISCI ALIPTÆ MOSCHATI.

Trochisci hi moschati, id est odore moschi imbuti, a quodam alipta, seu reunctore, inuenti et in vsum tracti, nomen ab inuentoris incogniti professione acceperunt. Constant ex odoratis. In quauis drachma fere vnicum granum ambræ habemus et de moscho sextam vnius grani partem. Ad suffumigia pretiosa spectant, inseruiuntque variis rebus odore imbuendis. Rarus est vsus internus: commendantur tamen pueris asthmate et constrictione pectoris laborantibus et lac reuomentibus, quibus pauca grana sufficient.

TROCHISCI ALKEKENGI.

AMESVE, quem auctorem hæc descriptio habet, commendatur ad renum et vesicæ vlcera, ac natam inde dysuriam. Obtundentia acre lotium, et calorem depascentem temperantia habent, cum subadstringentibus quibusdam ac anodinis.

Insunt quædam, quæ facile ranceſcunt et corrumpuntur, quare non debent vetustatem consequi. Cum opio parati in drachma vna habent granum vnum ac fere dimidium. MESVES dosin præscribit drachmam vnam, iulepo quodam aut hydromelite distemperandam: commentatores vsum diu continuandum præcipiunt. Sed si id volumus aut minor quantitas est præbenda, aut in vsum vocandi sunt illi, qui sine opio parati fuerunt.

TROCHISCI BECHICI ALBI CVM MOSCHO.

Maximam partem facit saccharum, cum amylo, puluere ireos Florentinæ et mucilagine tragacanthi: pauxillum ambræ et moschi accedunt, quod in drachma vix potest ad computum vocari. Qui tamen talia non ferunt, habent sine his odoribus paratos, quos ad satietatem licebit adhibere. Obtundunt acrimoniam et aliquantum resoluunt.

TROCHISCI BECHICI MAIORES FRIDERICI WILHELMI ELECTORIS.

Sunt succus glycyrrhizæ depuratus et saccharo distemperatus. Fando accepi Belgam quendam apud glo-

glorioſiſſimæ memoriæ Principem magnam gratiam hoc remedio iniiſſe, quo ſæpe et feliciter vſus fuit.

Noſtro tempore, ſub nomine Gallico *la Regliſſe*, celebratur idem ſuccus glycyrrhizæ cum ſaccharo et gelatina cornu cerui : cuius inſignem fructum in tuſſi acri, raucedine et defluxionibus acribus catarrhalibus ſemel iterumque expertus, candide laudare debeo.

TROCHISCI BECHICI NIGRI.

Sunt ſatis noti vſus, vt et plebeii homines haud raro illis abutantur. In tuſſi pertinaci tam demulcendo quam reſoluendo iuuant.

TROCHISCI DE BERBERIBVS.

Sunt rarioris vſus. MESVE commendat ad febres ardentes et ſitim vehementem exſtinguendam. Sunt adſtringentes, quare etiam in fluxibus alui ac ſanguinis locum habere poſſunt.

TROCHISCI DE CAPPARIBVS.

Ad inflationem et duritiem ſplenis a MESVE commendantur. Dare iubet drachmam vnam cum vino, cui incocta ſint radix capparum, cortex fraxini et tamariſci.

TROCHISCI DE CARABE.

Commendantur a MESVE tamquam certum remedium hæmorrhagiarum cuiuscunq; generis. Dandam veteres præscribunt drachmam vnam: quæ nullo modo correcti opii granum sestertium complectitur: quare consultum erit in scrupulo vno subsistere. Vehiculum præscribitur succus aut decoctum plantaginis vel myrti, aut agrestæ succus. Etiam clysteribus indere veteres solebant, vbi alui nimios fluxus compescere placebat.

TROCHISCI DIARRHODON.

Etiam hi ab eodem auctore Arabe commendantur ad multos affectus, præsertim ad ventriculi dolorem, malam coctionem, febres antiquas, hydropem incipientem et cachexiam. Quæuis vncia habet camphoræ grana quinque: cetera sunt tonica et roborantia. Possunt in atonia emendanda locum inuenire, vel per se sumti, vel speciebus pro infusis vinosis additi: quibus etiam melius, quam species diarrhodon, conueniunt.

TROCHISCI DE EVPATORIO MESVAE.

Auctor eos commendat ad tumorem et indurationem hepatis ac lienis, indeque natas febres antiquas

tiquas et harum rigorem, icterum, hydropem incipientem. Habet vim resoluentem a rhabarbaro et asaro, ac tonicam ab eupatorio et rosis rubris. Cum succo vel decocto eupatorii assumendæ sunt.

Sed inter dubia vexata materiæ medicæ pertinet quæstio, quæ planta sit verum eupatorium, adeoque hic debeat intelligi. Plerumque agrimonia aut cannabina aquatica substituuntur: sed vix vereor hic subscribere VALERIO CORDO, qui his trochiscis subiicit: *Eupatorium Mesuæ intelligendum est graziola.* Est vere efficax remedium in cachexia et hydrope, sed et drasticum, et ob insignem amaritiem valde ingratum: vnde dosin pro intentione alterandi vel euacuandi probe diiudicare oportebit, et ingratum saporem corrigere syrupis, vt de cichorio cum rhabarbaro, diasereos et similibus.

TROCHISCI PRO FVMO CONTRA PESTEM.

Vsum titulus satis indicat: vtinam spem expleant.

TROCHISCI GALLIAE MOSCHATAE.

Gallia, Arabum sermone, denotat *pretiosum.* Cumque plures in vsu essent tales compositiones, vt *aromatica*, *Sebellina*, quas apud MESVEN legimus, hæc distinctionis caussa cognomen *moschatæ* accepit: cum præter odorata nihil habeat, ceteræ alia aromata et sic dicta cordialia recipiant.

Per ſe dantur ſcopo cerebrum ac cor confortandi, ac halitum oris commendandi, pro iis, qui ferre talia poſſunt. In eorundem gratiam ſpeciebus ac puluerib̃us aliis adiiciuntur, vt odorem ipſis gratum tribuant.

TROCHISCI GORDONII.

Nomen habent a BERNHARDO GORDONIO, qui medicinam ſæculo XIII. exeunte Monſpelii docuit, et libri, qui *lilium medicinæ* inſcribitur, auctor fuit, ſuo tempore et inſequutis, ſumme æſtumati. Mire commendantur ad affectus renum et veſicæ, iuuari autem debent, pro circumſtantiarum exigentia, decoctis conuenientibus. Quoniam vero multa ipſis inſunt, quæ ætatem non ferunt, optimum foret, vbi vſus poſtulat, recens conficiendos curare.

TROCHISCI DE LACCA.

Sunt ex deſcriptione MESVAE. Vocantur etiam *de cancamo*. Vrinas mouent. Commendantur ad obſtructiones hepatis et lienis, et inde natas febres varias et aſciten. Bonitatem eorum primum cognoui in puerulo, qui poſt ſuperatas epilepticas conuulſiones abdomen durum, tenſum et inflatum habebat, cui perfectam ſanitatem reddiderunt. Dantur adultis ad drachmam vnam; cum decocto conueniente.

TROCHISCI MOSCHARDINI.

Admodum parum differunt a trochiſcis bechicis albis, niſi quod amylum ibi additum hic omittitur. Commendando oris halitui præcipue conuenient.

TROCHISCI DE MYRRHA.

Sunt medicamentum a RHASE practicis traditum et commendatum, *libro IX. ad Almanſor. cap.* 88. qui ad retentionem menſtruorum adeo vehemens et efficax hoc medicamentum eſſe ſcribit, vt etiam fœtum excutiat, ſi qua grauida eo vtatur. De doſi et vſu id docet, parari debere trochiſcos duas drachmas ponderantes, atque talem vnum die integro eſſe aſſumendum. Noſtro æuo minoribus doſibus ſtudetur: ſed apparet hinc, quo vſque liceat progredi in caſibus grauioribus, vbi fœtus mortuus aut ſecundina expelli debent.

TROCHISCI RAMICH MESVAE.

Qui vocem peregrinam *ramich* tamquam ſynonymum *rumicis acidi*, i. e. acetoſæ, accipiunt, non tetigerunt rem acu. Significat compoſitionem adſtringentem ex talibus, quæ veteres frigida et ſicca exiſtimauerunt. MESVE, ad quem auctorem perti-

nent, de viribus et vſu hæc ponit: *ventriculum, cor, hepar, imbecilla firmat, et lubricæ viſcera ac inteſtina, choleram morbum ſiſtit, acrimoniam obtundit, animum reddit tranquillum, hæmorrhagiam omnem cohibet, ob quam naribus ſanguine fluentibus flando impellitur: aliis medicamentis miſcetur.*

TROCHISCI DE RHA-BARBARO.

Sunt et hi MESVAE, qui perhibet eos valere ad hepatis obſtructionem, dolorem, tumores præter naturam, affectus inueteratos eiuſdem, et hydropem et icterum et cachexiam. Datur drachma vna cum aqua vel vino, aut decocto aperitiuo.

TROCHISCI DE ROSIS.

Etiam hos tradidit idem MESVE, ad ventriculi dolorem, malam concoctionem, febres antiquas, hydropem incipientem et cachexiam idoneos. Danda eſt drachma vna ad alteram, cum vino vel decocto radicum aperitiuarum.

TROCHISCI DE SVCCO GLY-CYRRHIZAE CORRECTO.

Succus glycyrrhizæ, ſatis magna quantitate lactis ſulphuris adiecta, addito ſale tartari modico redditur magis ſolubilis et penetrans, atque tranſpirationi mouendæ idoneus. Quatuor vnciis ineſt drach-

mi

ma fere opii citrati : vt in drachma ſint admodum duo grana : vnde colligitur ſcrupulum horum trochiſcorum per diem aſſumtum doſin eſſe ſufficientem in tuſſi feroci et irritatiua, aliisque catarrhalibus moleſtiis.

TROCHISCI DE TERRA SIGILLATA.

Iterum ſunt MESVAE, qui admodum efficaces prædicat ad ſputum ſanguinis, cum ſucco plantaginis potos. Ad fluorem vero ſanguinis e naribus, fronti illitos; ad menſes immodicos, vtero iniectos vel pubi illitos : ad mictum ſanguineum, in veſicam iniectos, et ad alias hæmorrhagias, parti ſanguine fluenti impoſitos : ad excoriationem cum ſucco cydoniorum vel alio adſtringente, applicatos. Caſu grauiore opium ſe addere ſcribit.

TROCHISCI DE VIPERA.

Viperæ in noſtra patria rarius obueniunt : quare plerumque ex Italia petuntur hi trochiſci, quos olim mittebant Patauini, addito teſtimonio facultatis medicæ comprobatos. Potiſſimum expetuntur ad theriacæ confectionem : rarius adduntur pulueribus, qui cutanea aliqua excretione laborantibus præſcribuntur, quia per ſuperficiem corporis euehere omnes impuritates creduntur.

ΤΡΥΦΗΡΑ ΜΑΓΝΑ.

Τρυφερὸν Græcis vocatur *delicioſum*, *voluptuarium*, tam ſenſu illo, quo denotatur aliquid ad voluptatem excitans, quam iſto, quo ſignificatur indolens, aut abſque doloris ſenſu agens. Sic apud GALENVM collyria tryphera vocantur, quæ conueniunt iis, qui nihil mordax perferre poſſunt: et SCRIBONIVS LARGVS *compoſ.* 230. hoc nomen tribuit medicamento, quod ſine dolore tollit externa vitia, quæ ferrum cum dolore ablaturum erat.

Sunt autem tres, quæ hic ponuntur, trypheræ ab effectu, quem promittunt, dictæ, quod concoctionem iuuando et flatulentias diſſipando animum ac corpus hilaritate atque alacritate aliqua mactant, coitusque deſiderium augent. Plenus titulus ſit ſubaudiendo: *antidotus.* Ob ſaporem non merentur titulum a deliciis ductum: pertinent enim ad antidotos amaras, et ſub hac claſſe apud MESVEN leguntur.

Conſtat hæc *magna* potiſſima ſui parte ex carminatiuis, aromaticis et diureticis. Inſunt tamen cortices mandragoræ, et, ex veteri deſcriptione, quam D. D. AVGVSTANI quoque ſequuti ſunt, opium: quæ duo mihi videntur ad baſin medicamenti pertinere. Si cum opio parata fuit, vltra drachmam dari non debebit, quæ granum eius vnum, mandragoræ dimidium complectitur.

TRYPHERA MINOR.

Est sine narcoticis, sed multum limaturæ martis complectitur, in drachma quauis fere quatuor grana: cachecticis dari poterit. Pauxillo moschi imbuta est.

TRYPHERA SARACENICA.

Est ex meris aromaticis et diuretico-diapnoicis, quibus excretiones aliquantum exstimulari poterunt. MESVE promittit, quod coctionem ventriculi et hepatis suo calore iuuet, ob id flatus dissipet, humores in ventriculo et aliis visceribus putres absumat, oris et corporis reliqui odorem et colorem commendet, lassitudinem tollat, sanitatem præsentem tueatur, morborum generationem prohibeat, venerem augeat, hæmorrhoidas sanet. Dari potest ad drachmas duas, tresue.

TVRPETHVM MINERALE.

Per Arabes in frequentem vsum deducta olim magis, quam hodie, ad purgationes expetebatur radix Turbith, quam et Turpethum vocant. Quia vero hoc præparatum mercuriale superius et inferius expurgat: hinc ipsi nomen datum est, cum cognomento mineralis, vt a vegetabili distinguatur. Est inter prima medicamenta chymica, diuque fuit in ar-

canis ſeruatum; quod apparet ex obſcuris deſcriptionibus, quæ apud multos auctores occurrunt. Erat olim velut ſacra anchora in curanda lue venerea, et hodieque veterani chirurgi illo multum vtuntur, quando ſaliuationem excitare cupiunt. Dant grana duo ad quinque vel ſex cum conſerua roſarum. Sed non video cur ſaliuationem cum tanta moleſtia excitare debeamus, remedio inſuper infido et violento, quod ſurſum ac deorſum euacuat, quum ad eundem finem tot aliis blandis modis peruenire tuto liceat.

Forte nullibi etiam tanto apparatu conficietur, quam in penultima editione præſcribitur: quum ſatis ſcopo idonea medicina breuiori via, quam nouiſſima præſcribit, poſſit obtineri.

Si quis mitiorem ad internos vſus deſiderat, docebit modum D D. KOENIGIVS in *ſelectu remediorum pæg.* 19. Adde quæ dicta ſunt, quum de arcano corallino ageremus.

VITRIOLVM MARTIS.

Ad multas præparationes chymico-pharmaceuticas requiritur. Sed et ipſum in ſubſtantia iungitur ſæpe pulueribus et electuariis ventriculo roborando, lumbricis, præſertim latis, expellendis et cachexiæ emendandæ deſtinatis. Non conſultum eſt magna doſi præſcribere: ſufficit plerumque granum vnum vel alterum. Purgantibus additum auget euacuationem, aliquando ad exceſſum. Specialem vſum ex HARTMANNO laudat NIC. CHESNEAV in hydropicis,

poſt

poſt aquarum euacuationem, ad vias lymphaticas iterum conſolidandas. Nimirum ſingulis diebus per menſem vel quadraginta dies præbere iubet granum vnum huius vitrioli, cum pauxillo ſacchari, hora vna ante cibum ex vino vel aqua deſtillata: quod experientiæ commendatur.

VITRIOLVM VENERIS.

Interno vſui vix præſcribitur. Commemoratur tamen de quodam pictore Romano, quod multos pueros epilepticos ſanauerit ſolo vitriolo cyprio, quod mere venereum eſt. Credo id feciſſe virtute tam emetica, qua primarum viarum ſordes remouet, et anthelmintica, quam cum vitriolo martis communem habet. Sed nauſeoſum eſt medicamentum, quodque ventriculo valde moleſtum eſt. Externus vſus eſt ad repurganda vlcera et carnem fungoſam exedendam. Oculis etiam aliquando inflatur tenuiſſimus puluiſculus, aut inter collyria admiſcetur. Virtus iſchæma ipſi cum illo ex marte communis eſt. Vſus chymicos et mechanicos hic attingere non eſt opus.

VITRIOLI COLCOTHAR.

Eſt reſiduum a vitriolo deſtillationi commiſſo, extremam torturam ignis paſſum: quod vel ſalinum apud ſe aliquid fouet, atque ſub hoc ſtatu chirurgis ſcopo cathæretico et ſtyptico vtile deprehenditur: vel affuſa aqua, ad colligendum vitriolum album

album vomitorium, quod ſub titulo *gillæ Theophraſti* vidimus, elixiuatum et inſipidum factum: quod ſub titulo *terræ vitrioli dulcis* adſtrictorio et exſiccante ſcopo a chirurgis adhibetur, et a chymicis ad varia præparata expetitur. Interno vſui commendatum a nullo memini.

VITRIOLI ROS.

Dicitur etiam phlegma vitrioli, eſtque humor acidulus, quo potiſſimum vtuntur pharmacopoei ad tincturas florum aquoſas, vt aquilegiæ, bellidis, parandas, nec non ad acidulandas potiunculas, quæ magno æſtu ſitique excruciatis præſcribuntur. Ventriculum quoque roborat, cruditateſque et pituitam incidit ac putres humores corrigit et lumbricos cum reliqua pullitie verminoſa arcet et expellit: quo intuitu videtur etiam profuiſſe illis, qui vſu eius ab epilepſia liberati memorantur. Vertiginoſis ex ventriculi vitio, et appetitu proſtrato laborantibus ſæpe præclare prodeſt, ſi ante prandium vel cœnam guttæ XV. XX. ex aquæ puræ frigidæ hauſtu præbeantur.

VNGVENTVM AEGYPTIACVM.

Antiquiſſimum ſane vnguentum eſt, cuius iam HIPPOCRATEM meminiſſe expreſſa veſtigia pluribus locis exſtant. Mundificat, putredinem arcet, corrupta ſecedere facit, calloſitates fiſtularum exedit, gangranæ et ſphacelo conducit. Conferatur, præter

ter alios FABRIC. HILDANVS *de gangr. et sphacelo.* Ad ossa non debet admoueri, quia ærugo, quam secum fert, promte cariem illis inducit. Quoniam non sine sensu vulneribus inditur, apud Italos, teste BRASSAVOLO, vocatur *caccia riso*, quod risum expellat.

VNGVENTVM AGRIPPÆ.

Nominis ratio est valde obscura, nec illi eruendæ immorabimur. Est ex numero quatuor vnguentorum calidorum, quæ sunt, præter hoc nostrum, aregon, martiatum et althææ. His calidis non vtebantur veteres, vbi aderat inflammatio aut caussa calida: contra vero in morbosis constitutionibus a caussa frigida, vt tumoribus laxis et albis, adhibebant. Legi in libro antiquo ignoti auctoris manu descripto, quod ad venerem segniores et flaccidas partes genitales roboret et excitet, si perinæo et femoribus per plures dies calide infricetur. Certior est fructus, quem affert, lienosis, alui obstructione et duritie laborantibus vt et hydropicis. Coquitur ex quibusdam sat valide purgantibus, quæ externo vsu fiunt resoluentia.

VNGVENTVM ALABASTRINVM.

Optimum oleum paregoricum paratur decoquendo cum diuersis vegetabilibus: idque cum cera et puluere alabastri in vnguentum redigitur. Multis encomiis exornatur a magnis medicis, vt

IOAN-

IOANNE LANGIO *epist. med. lib. III. p.* 865. et 885. AVG. THONERO obseruat. lib. *I. p.* 44. Plurimum valet in capitis doloribus acutissimis febri laborantium, ad phrenitidem spectantibus, in oculorum passionibus dolorificis, colli inflammatione, vt et renum ac pectoris. Lintea illo imbuta imponuntur.

VNGVENTVM ALBVM CAMPHORATVM.

Est refrigerans et discutiens. Conuenit, vbi est calor, vbi cuticula detrita est, serpigini pruriginosæ, ambustis. Est ex quatuor frigidis vnguentis primum et simpliciſſimum: reliqua sunt infrigidans Galeni, populeum et rosatum Mesuæ.

VNGVENTVM ALBVM RESOLVENS MAMMARVM TVMORES.

Satis bene se gerit ad finem illum in titulo præscriptum: magis tamen consultum est tempore vsus recens parato vti, quam in officinis diutius asseruato.

VNGVENTVM ALBVM SIMPLEX.

Dicitur etiam *de cerussa Auicennæ*. Idem valet, et ad eadem, quæ album camphoratum.

VNGVENTVM DE ALTHAEA.

Inter vnguenta calida temperatiſſimum eſt viribusque æmulatur emplaſtrum diachylon ſimplex, dolores lenit, inque pleuritide vtiliter adhibetur. Poteſt ipſi addi ſperma ceti, ſicque cum pectorali coniungi.

VNGVENT. AD AMBVSTA.

Pariter valet ad igne ambuſta et frigoris vi aduſta. Subſtitutum huic eſt in nouiſſima editione aliud, quod ad excellentiſſimum archiatrum D. D. STAHLIVM refertur et præſentiſſimi effectus teſtimonio exornatur: quod mihi experiri nondum licuit.

VNGVENT. ANODYNVM.

Vbicunque dolores a rigida fibrarum tenſione proueniunt, et remiſſione illius indigent, ſatis eſt commodum hoc vnguentum, quod nihil ſtupefaciens continet, adeoque in capitis omniumque membrorum et partium tali dolore ſecure adhiberi poteſt, vel immediate, parti dolenti, vel exſtantioribus locis, vt temporibus, vmbilico, carpis, talis, lumbis.

VNGVENT. APOSTOLORVM.

Sic dicitur a numero duodecim, quæ ad hoc vnguentum assumuntur, non computato oleo. Est simul mundificans, detergens, maturans et consolidans. Non sine dolore vlceribus applicatur, quod cum olim pontifex quidam experiendo disceret, iocatus chirurgum increpauit, quod Iudam proditorem non excluserit a piis apostolis, narrante ANTON. MVSA BRASSAVOLO *in examine vnguentorum, p. m* 285.

VNGVENT. AREGON.

Aregon est Græcum *ἀ'ρηγὸν*, id est *iuuans, auxilium ferens.* Refertur inter calida, adeoque frigidis morbis, conuulsionibus, paralysi, spasmo rigido, lumbagini, rigoribus febrium, destinatum est. Sed admodum raro hodie ad vsum vocatur.

VNGVENT. DE ARTHANITA.

Multa ad concinnandum hoc vnguentum accedunt fortissima purgantia, a quibus virtutem accipit aluum clausam reserandi, tumores oedematosos discutiendi, aquas hydropicorum expellendi, et prouocandi menses retentos vel suppressos: præsertim si hoc vltimo casu, ex præscripto D.D. WALDSCHMIDII, ad vnguenti huius duas drachmas addatur extracti trochiscorum alhandal scrupulus dimidius

dius cum guttis V. vel VI. olei ſabinæ, et vmbilico imponatur. Prouidendum modo fuerit, ne pharmacopoeus veris cyclamini radicibus ſubſtituat illas heliotropii tuberoſi, eſculentas et hoc intuitu prorſus inertes: quod in celebri quadam officina bona fide ſic factum eſſe probe memini.

VNGVENT. AVREVM.

Nomen habet a colore et virtutis præſtantia. MESVE hoc vulnera certo et ſalubriter glutinare pomittit. Vocatur etiam vnguentum regis, quaſi baſilicon, nam reuera parum differt a baſilico, quod mox ſequitur.

VNGVENT. BASILICVM.

Deſtinatum eſt vulneribus, quibus nulla inflammatio coniungitur, præſertim membranoſarum et neruearum partium, ſanandis. Si pro rei indigentia cum melle roſarum et vitello ouorum temperetur, optimum euadit digeſtiuum et mundificans.

VNGVENT. CARMINATIVVM.

Ex optimis carminatiuis coquitur, ſaneque laudabilem effectum in colicis et torminoſis affectibus præſtat, ſiue abdomini exterius illinatur, ſiue enematibus additum iniiciatur.

VNGVENT. CITRINVM.

Potius citreum aut e citro dicendum, quia a corticibus citri nomen adeptum eſt. Lentigines, ephelides nimiamque faciei rubedinem curat, omnes aſperitates cutis detergit, cicatricum foeditatem emendat.

VNGVENTVM CLYSMATICVM.

Vel per ſe, leni calore liquatum, vel oleo, lacti, aut decoctis iunctum, iniicitur. Conſtat ex butyro viribus emollientium plantarum imbuto.

VNGVENT. COMITISSAE.

GVILIELMVS A VARIGNANA comitiſſæ cuidam Vandrenſi grauidæ, menſium nimio profluuio laboranti, cum fructu illud adhibuit, et curatione hac operæ pretium fecit. Parum quidem ipſi tribuit ANT. MVS. BRASSAVOLVS *in exam. trochiſc. vnguent. p.* 327. et 333. mihi tamen licuit teſtem fieri optatiſſimi fructus, quem attulit matronæ cuidam grauidæ et iam ad vltimos geſtationis menſes progreſſæ, quum ſtillicidio uteri corriperetur: cui hoc vnguentum optimis ſuis rebus ſuaſi: quippe ad legitimum tempus fœtum conſeruauit, vegetumque enixa eſt. Confert etiam in diarrhoeis, menſium nimio profluuio et hæmorrhoi-

hoidibus modum excedentibus. Femoribus, dorſo et abdomini illinitur. Non eſt cur hic reformidemus opium, quod trochiſcos de carabe intrat: quum ſit tam exigua quantitas, vt ad calculum reuocari vix poſſit, quantum in vncia vnguenti contineatur.

VNGVENTVM CONTRA CALCVLVM.

Eſt anodynum, rigidamque fibrarum tenſionem relaxando non ſolum dolores mitigat, verum etiam efficit, vt calculus a renibus per vreteres progreſſurus facilius deſcendat. Lumbi, pubes et perinæum ipſo inungi debent: poteſtque hoc facto ægrotus balneo tepido immitti, aut veſicis, decocto leniente impletis, exterius admotis foueri.

VNGVENTVM CONTRA RVPTVRAM.

Eſt IO. ZWELFERI *in pharmacop. regia p. m.* 751. qui pro certo remedio ad hernias commendat, inteſtinis prius repoſitis, et ſimul adhibito bracherio. Iubet autem partes ab inferioribus verſus ſuperiora manum ducendo inungere, hocque facto dorſum pinguedine vrſi illinere.

VNGVENTVM CONTRA SCABIEM.

VNGVENTVM CONTRA VERMES.

Vſus ex titulo ſatis cognoſcitur.

VNGVENTVM CORDIALE DE NYMPHÆA.

Ad cordis regionem, frontem, tempora, carpos, applicatur in lipothymiis, debilitate, febribus malignis.

VNGVENTVM ENVLATVM.

Inſigniter commendatur ab AMATO LVSITANO *obſ. cent. II. cur.* 98. ad ſcabiem et tineam. Diuerſo modo paratum in variis officinis proſtat. Addunt aliqui ſulphur et mercurium, quare circumſpectione opus eſt in præſcribendo, ne forte a tali additamento aliquid eueniat, quod non exſpectauerамus. RIVINVS ſuadet, vt externo vſui ſimul iungamus internum radicis enulæ: quod non videtur contemnendum.

VNGVENTVM FVS-
CVM COMMVNE.

Est NICOLAI MYREPSI. Vocatur etiam nigrum. Idoneum est puri generando, mundificando et digerendo, tandemque carnis nouæ prouentui fouendo. Aliquanto locupletior est nostra descriptio aliis, addito puluere radicum aristolochiæ rotundæ.

VNGVENTVM FVS-
CVM FELICIS WÜRTZII.

Est aliquod imitamentum vnguenti Ægyptiaci, potestque fere locum eius occupare. FABRIC. HILDANVS *lib. de melic. et ichor. p.* 856. suum de eo iudicium pandit, suspectumque reddit vsum in sic dicta synouia: cui accedo illo casu, si nuda ossa iam fuerint, quibus cariem certo inducet. PAVL. BARBETTE docet ad duritiem, quam suppositoria requirunt, coctum in cylindros efformare et fistulis eos immittere ad callum absumendum.

VNGVENTVM INFRIGI-
DANS GALENI.

Adhibetur ad regionem lumborum, renum et hepatis inungendam, quando his partibus inflam-

mationes vel dolores molesti sunt: itemque ad phlegmonem partium pudendarum.

VNGVENTVM DE LINARIA.

Valde commendatur ad dolentes et exulceratas hæmorrhoidas cæcas, quibus gossypio illitum applicatur. Noui aliquos, qui ferre non poterant, ex præscripto paratum: quibus tamen cum vitello oui mixtum afferebat solatium. Et sane illius additionem, vsus tempore, iam olim suaserunt. D. D. AVGVSTANI in pharmacopœa sua.

VNGVENTVM DE LITHARGYRIO, alias NVTRITVM.

Est valde refrigerans atque exsiccans, quod vlcerum prurientium, vt fonticulorum, ambitui impositum, aliisque serpiginosis ac desquammatis et attritis probe conducit: cicatrici etiam producendæ fauet.

VNGVENTVM MARTIATVM.

Obscura est denominationis ratio. D. D. AVGVSTANI scribunt MARCIATI, tamquam auctoris nomen. Est ex quatuor calidis, adhibe-

hibeturque ad omnia, quibus etiam vnguentum Agrippæ conferre diximus. Diffusissima est compositio sed iam parum vsu frequentatur, quæ caussa videtur fuisse, cur in nouissima editione omnino omitteretur.

VNGVENTVM DE MINIO.

Vocatur etiam *vnguentum rubrum*. Viribus forte parum differt a nutrito. Camphoratum magis discutit.

VNGVENTVM MVNDIFICATIVVM STAHLII.

Ad cutis efflorescentias scabiosas, præsertim siccas et valde pruriginosas, præmissis necessariis valde proficuum est, si vel immediate loco affecto inducatur, vel articulationibus manuum, brachiorumque subinde infricetur.

VNGVENTVM NERVINVM.

Frigidis neruorum affectibus opitulatur, doloresque solatur: etiam atrophia laborantibus partibus succurrit.

VNGVENTVM NICOTIANÆ.

A LAVRENTIO JOVBERTO ad ſcrophulas digerendas commendatur. Præterea etiam valet ad omnis generis vlcera et vulnera, ambuſta iuuat, et ſcabiem tineamque curat.

VNGVENTVM NIHIL.

Oculorum deterſioni, lippitudini et inflammationi potiſſimum deſtinatum eſt: quamuis etiam aliis partibus, vbi exſiccatione opus videtur, adhiberi poteſt.

VNGVENTVM PARALYTICVM.

Vſus ex titulo patet. Vices neruini vnguenti ſupplere poteſt.

VNGVENTVM PECTORALE.

Vocatur etiam *crocinum*. Si recens, non pœnitendum fructum affert in dolore pectoris, tuſſi, aſthmate. Verum perquam facile rancescit, ſicque calidum redditur. Iungi poteſt cum vnguento de althæa.

VNGVENTVM POMATVM.

Ad labiorum fiſſuras ſanandas, decoremque cuti conciliandum expetitur. Qui fuco delectantur, ſolent magiſterium marcaſitæ huic vnguento permixtum faciei illinere, frictioneque in poros impellere, vt inde candidiores euadant. Quod in officinis vulgatiſſimum eſt, plerumque tantum ex adipe ſuillo cum aqua roſarum loto et ſubacto conſtat, cui aliquantulum ireos Florentinæ cum olei rhodii pauculis guttulis additur.

VNGVENTVM POPVLEVM.

Eſt emolliens et quadantenus anodinum. Solent in febrium nimiis ardoribus et agrypnia hoc vnguentum pulſantibus in carpo, temporibus, pedibuſque arteriis applicare, quo ſæpe exoptatus ſomnus dolorumque lenitio impetratur. Si huius vnguenti et confectionis Hamech æquales partes miſceas, plantiſque pedum applices, non longe poſt vſum aluus pertinaciſſime clauſa reſerabitur.

VNGVENTVM POTABILE RVBRVM.

Interno vſu comparatum eſt, ſumiturque ad cochlear vnum cum iuſculo aut cereuiſia calida ad

ſanguinem intus coagulatum a contuſione, lapſu, ruptura, reſoluendum, vulneraque conſolidanda. Haud certe contemnendum remedium, ſi recens fuerit. Mare ſeptemtrionale nauibus ſulcantes etiam fructum antiſcorbuticum ab eo impetrant.

Puerperarum abdomini illinitur, cum oleo carminatiuo MYNSICHTI, ne ventricoſæ fiant.

VNGVENTVM POTABILE VIRIDE.

Haud multum diſſimile, quamuis minori ſimplicium numero conſtans, in pharmacopœa AVGVSTANA legitur ſub titulo: *Vnguentum viride reginæ.* Simili intentione, qua præcedens, interius datur: ſed non ita concinnum eſt. Vtiliſſimo compendio ex ſolis baccis iuniperi vireſcentibus perficitur, quod externo internoque vſui aptiſſimum eſt, et opilioni cuidam Rochlicenſi in arcanis fuiſſe legitur, qui eius vſu magnam famam et opes conſequutus fuit.

VNGVENTVM RESVMTIVVM.

Quaſi dicas analepticum, aut quod vires reſumere facit. Eſt ad exemplum *reſumtiui Fernelii.* Aſthmaticis, hecticis, tabidiſque vtiliter inungitur: membris

membris etiam vulneratis aut luxatis poſt curationem rigidis, vt et poſt ſuturam tendinum, egregie confert.

VNGVENTVM ROSATVM.

AMESVE, quem auctorem habet, commendatur ad phlegmonas, eryſipelata et herpetas, cephalalgiam calidam et ventriculi ac hepatis intemperiem calidam mitigandam. Sed is roſas rubras iubet accipere ad hoc vnguentum parandum, et inter decoquendum aliquantum opii adiicere, vt tanto magis anodinum ac ſomniferum fiat. Noſtro tempore deſideratur hoc vnguentum album, adeoque ex albis roſis conficitur, et opium omittitur. Vnguenti pomati vices ſæpe explet.

VNGVENTVM SANTALINVM.

Vires habet roborandi, refrigerandi, doloremque ſedandi. MESVE teſtatur, quod omnem intemperiem calidam ventriculi, hepatis aliarumque partium potentiſſime exſtinguat. Itinerum ſcriptores referunt de Indis Moluccis, quod a ſolis æſtu peruſti et æſtuantes lignum ſantalum ſuper ſaxo arenoſo affuſa aqua terant in pultem, illamque præſentaneo fructu imponant. Ex quo more forſan hæc commendatio profluxit.

VNGVENTVM SOMNIFERVM.

Scopum huius vnguenti titulus docet. Carpis et temporibus applicatur: fæpeque hoc tutius fit, quam ſi opium interius aſſumatur. Agit potiſſimum remittendo rigidam fibrarum ſolidarum tenſionem: hacque ablata humorum celerem nimis motum ad mediocritatem naturæ amicam reuocando.

VNGVENTVM SPLENETICVM.

Conſtat ex reſoluentibus, tonicis et anodinis. Vtiliter adhibetur in duritie et infarctu tam ſplenis quam hepatis: adeoque hypochondriacos, icte-ricos et flatulentiis vexatos inſignem in modum ſolatur.

VNGVENTVM STOMACHALE.

Ventriculo debili roborando conuenit: vomitum enormem compeſcit, flatulentias corrigit, et vires vitalemque facultatem excitat.

FINIS.



BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schulze, Johann Heinrich,

Joannis Henrici Schulzii Med. Doctoris Et In Regia Fridericana Professoris Praelectiones De Viribus Et Usu Medicamentorum Quae In Officinis Pharmacopolarum Parata Prostant Ad Dispensatorium Regium Et Electorale Porusso-Brandenburgicum Usibus Illorum Qui Se Artis Operibus Exercendis

Norimbergae 1736

M.med. 955
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10288654-6
VD18 11600624